DE IMPERIO VIRTUTIS SIUE IMPERIA PENDERE A VERIS VIRTUTIBUS NON A SIMULATIS...

Tommaso Bozio

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
3 D
3/4

14. 3. D. 3

DE IMPERIO VIRTVTIS

SIVE

IMPERIA PENDERE A VERIS VIRTVTIBVS NON A SIMVLATIS

LIBRI DVO.

ADVERSVS MACCHIAVELLVM.

AVCTORE

THOMA BOZIO EVGVBINO
Presbytero Congregationis Oratorij.

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE,
Ex Typographia Bartholomæi Bonfadini. M. D. XCIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

DE IMPERIO VIRTVTIS

SIVE

IMPERIA PENDERE A VERIS VIRTVTIBVS NON A SIMVLATIS

LIBRI DVO.

ADVERSVS MACHIAVELLVM.

AVCTORE

THOMA BOZIO EVGVBINO

Presbytero Congregationis Oratorij.



ROMAE,

Ex Typographia [illegible]. M. D. XCIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISSIMO
AC BEATISSIMO
PATRI ET D. N.
CLEMENTI VIII.
PONT. MAX.

THOMAS BOZIVS
Presbyter Congregationis Oratorij
ſempiternam felicitatem.

VIRTVTIS quoddam genus in animos humanos à Deo ſolet infundi, ac proinde diuinos reddit illos, diuinumque habetur: quoddam viribus naturę rationem ſequentis acquiritur, atque vt ab beſtijs diſtinguamur, efficit. Jllud nobis communicatur per Chriſtianam religionem, fidemque Chriſti, & ſacramenta, quę reliquit ille Eccleſię ſponſę, veluti inſtru-

menta quædam mirabilia diuinæ charitatis. Hoc poteſt per ſapientium, veritatiſque amatorum naturalia quædam præcepta ſequentium, tradentiumque inſtitutionem comparari. Malus Dæmon, vbi per Macchiauellum (vix credimus aduertentem) contendit exterminare primum, cum multa infanda in doctrinam Chriſti dixit ob collaudatam ab illa manſuetudinem, nomina Sanctorum tolli volens, neque imponi pueris noſtris, ſed reuocari antiqua in vſum, ſacrificia ſublata quodammodo conquerens ſecūdum deinde eſt ille aggreſſus; ac ſcriptum reliquit.

A Principibus viris habendam ſemper in ore virtutem quamlibet, ac potiſsimum religionem, promiſſorum obſeruantiam, liberalitatem, manſuetudinem, ſed omnia nihili facienda, cum datur occaſio ditionis augendæ, ac lucri faciendi.

Verùm quoties agitur contra virtutis officium, monet aſſeri, tùm maximè illud ſeruari, ac pro illius tuitione fieri omnia, quæcumque aduerſus eius preſcriptum fiunt,

atque ita credulis, ne dicamus ſtolidis perſuaderi, prætextu inani, ac mendaciſſimo fallacium virtutum, ſeu verius duplicium vitiorum.

Concludit homines haud mediocribus acquieſcere debere. ſed niſi eſſe optimi, ac ſanctiſſimi queant, præſtare, vt ſint ad flagitia potentiſſimi. Atque ita vult ex hominibus non ſolum vulpes eſſe, lupos, ac viperas; qui non vnum modo, vel alterum necent; ſed peſtilentiſſimos Dracones, ac venenatiſſimos Baſiliſcos; qui regiones totas, atque humanum genus afflatu ſuo perdant, atque exterminent. optimis namque eſſe pauciſſimis datur.

Aduerſus iſta euidentiſſimè probamus imperia, bonaque omnia pendere à veris Virtutibus, non à ſimulatis. quin ab obedientia, doctrinaque Chriſti, ac ſedis iſtius. iure igitur hæc omnia debentur, atque offeruntur eidem: maximè, quòd ipſius iuſſu fuerint elaborata. Deus autem, qui cuncta moderatur, illam, quod aſsiduè precamur, SANCTITATE TVA diutius viuente,

ac tanto ſtudio, tot, ac tantis vigilÿs id eni-
tente amplificet. ac nos, & omnes do-
nis cæleſtibus ſemper magis
in dies, ac magis
exornet.

ILLV-

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

CYNTHIO ALDOBRANDINO CARDINALI S. GEORGII.

THOMAS BOZIVS

DVÆ ſunt hominis excellentiſsimæ partes, per quas ſcilicet à belluis diſtinguimur, atque homines ſumus; Intelligentia, & voluntas Illius obiectum, quo perficitur, & quò tendit ſemper, eſt veritas; Huius autem bonum. Per virtutes ad iſta peruenimus. Virtutibus ſublatis neque bonum conſequi poſſumus, neq; verum. Macchiauellus, quaſi Circæa pocula generi humano propinaturus, vtrumq; obiectum conatus eſt abradere è terris, atque ex hominibus beſtias efficere. Dixit enim, cum de quæſtu faciendo agitur, abijciendum, repellendumque omne Virtutis munus: non eſſe ad conſilia Virtutem vocandam, nihil eam voluit valere in rebus decernendis. quamuis omnino ſuadeat idem bonus homo, vt Vir-

tutis omnes omnibus modis ſignificationes ampliſſimas demus: illam ſemper in ore habeamus, laudemus, hortemur alios ad eam. Monet præterea, vt quoties molimur, & expedimus aliquid ſpeciatim contra Virtutem, tùm maximè affirmemus ac profiteamur à nobis eam quæri, pro ea nos laborare, & machinari omnia. Sic itaque veritatem per huiuſmodi ſimulationis prætextus ab intelligentia remouet. ab hac vero, & voluntate omne bonum virtutibus acciſis, & euerſis: ac renouat illud vetus

Sapientiam miſero omnem ex animo expectorat.

Aduerſus hæc execranda, quæ in vſum perducta extremam principatibus afferre apertiſſimè ruinam conſpicimus, hos modo libros in lucem damus; quibus illuſtriſſimum facimus euentibus omnium Regum, gētiumque clariorum ex omni memoria repetitis, & in mediū productis omnia bona, ſiue illa viuentibus contingant, ſiue poſt obitum liberis defunctorum, populis, ac nationibus, à vera Virtute pendere, à ſimulatione omnia mala.

TVAE *vero* AMPLITVDINI *hæc offerimus, quod in arce genuinæ Virtutis conſiſtens, & in tanto loco poſitus eius ſtudioſos maximè foueas, & amplectaris, viamq; tibi Deo, Chriſtoq; Duce in cœlum latiſsimam ſternas. Aſpiret Deus quotidie felicius conatibus iſtis tam præclaris; vt tanto Pontifice ſedente per optimos nepotes vere optima ſæcula florere Orbi vniuerſo terrarū iucundiſſimè contemplemur.*

AR-

ARGVMENTA CAPITVM
TOTIVS OPERIS.

LIBER PRIMVS.

Prohemium.

Bonum eſt, quod appetunt omnia. ad Deum ſummum bonum, fontemq́. bonorum, reliqua omnia reducuntur. pars vult magis bonum totius, quam ſuum, alioquin & ipſa, & totum periret. ſic procuratione proprij, & contemptu communis, pereunt vniuerſitates. Virtus eſt, qua tendimus in bonum. eam ſimulare haud licet. Virtus Heroica quæ ſit, collocata in ſummis virtutibus, & æternorum contemplatione.

Cap. I.

Sapientis eſt abſtrahere mentem à præſentibus, proſpicere futura, quod belluarum ſit inhærere ſenſibus. ob id viri ſapientes lucra quædam poſita ante oculos ſpernunt, reſpuunt; diuina ac ventura contemplantes: contra verò belluis ſimiles, & inſipientes. fol. 1

Cap. II.

Reges ſimulatæ virtutis ſæpius hoſtili manu interfecti fuere; ſecus boni. 5

Cap. III.

Imperatoribus, ac Regibus ſimulatæ virtutis exigua vitæ vſura plerumque in regno fuit; bonis autem contra. 17

Cap. IV.

Multi ſimulatæ virtutis Reges, quibus mali ſuperiora non contigere, regno expulſi in maximis miſerijs vixerunt. 25

Cap. V.

Reges ſimulatæ virtutis in maximo ſemper metu, & acerbiſsimis curis vixerunt; contra boni in maxima ſecuritate, & incredibili quiete. 30

Cap. VI.

Simulatæ virtutis Reges varijs ſunt ærumnarum ſemper euentibus afflictati, ita vt neque animo dulce quidquam percipere ob metum, de quo ſuperiori capite diximus, neque extrinſecus aduenieus aliquid ſuaue plerumque potuerint. atque ita miſerrimè intus, atque extra fuerint tota vita verſati. 74

Cap. VII.

Reges ſimulatæ virtutis plerumque vexati ſunt perpetuis diſsidijs, ac bellis ſuorum propinquorum, quibus contingebat, vt multo acerbiſsima ipſis vita foret. 57

Cap. VIII.

Reges ſimulatæ virtutis non modo ſuperiora ſubierunt, ſed etiam quandoq; conſanguineorum ferales cædes experti ſunt, qui vel ſe mutuo conciderunt, vel ipſi proprios (dictu nefas) parentes occiderunt, aut à parentibus occiſi ſunt. 61

Cap. IX.

Siqui Reges fraudulenti ſunt ad magnum fœlicitatis culmen euecti, grauiori deinde illi caſu cum ſuis conciderunt. 67

Cap. X.

Reges ſimulatæ virtutis numquam tam diu, ac tam latè dominati ſunt, vt veritatis cultores. 75

LIBER SECVNDVS.

Cap. I.

REges ſimulatæ virtutis perpetuæ poſt obitum ſunt infamia notati. 79

Cap. II.

Virtutis ſimulatæ cultoribus inania fuerunt gloriæ monumenta; contra bonis. 88

Regi-

Cap. III.

Regibus ſimulatæ virtutis liberorũ Regũ breuis poſteritas fuit. 90

Cap. IV.

Regum ſimulatæ virtutis nepotes mutuis ſe cædibus ad interne-cionem miſerrimè abſumpſerunt cùm tota familia ſua. 49

Cap. V.

Populi ſimulatam virtutem ſectantes deleti, ipſorum regiones ad vaſtitatem redactæ. 96

Cap. VI.

Oſtenditur imperia magna veluti Romanum non alia via ad tan-tum culmen euecta, niſi veritatis profeſſione, ac ſtudio genuinæ virtutis. 102

Cap. VII.

Apertiſsimè oſtenditur Aſſyriacum, Chaldaicum, Aegyptiacum, Perſicum, Græcanicum, Romanumq. imperium concidiſſe ob do-los, & proprias ſimulationes. 110

Cap. VIII.

Illuſtriſsimo exemplo Orientalis imperij, & Occidentales aperi-tur, quantum poſsit vera virtus inermis, & quantum ficta, & armata. 115

Cap. IX.

Ab animalibus ratione carentibus edocemur fraudes fugiendas, ac dolos, ſi nobis bene eſſe velimus, virtutem niſi ex omni par-te poſsimus aſſequi, quantũ poſſumus tamen retinendam. 121

Cap. X.

Oſtenditur imperium virtutis oppreſſæ, inermis, deſtitutæ omni-bus auxilijs eſſe potentius ad homines ſibi ſubijciendos omnibus in rebus, quam armatum, munitumq. omni humana potentia imperium. oſtenditurq. hoc Christi exemplo, qui imperium ſuũ commiſit Romanis Pontificibus, quorum plures, quàm è quali-bet ſede, Martyres, & Sancti fuerunt, dans vt veritati æternæ contrarium lege vniuerſali præcipere non poſsint. 130

Cap. XI.

Exemplis eorũ, qui referuntur in ſuperos à Pontificibus Romanis,

ca

ac bonis acquiſitis per omnes terras Septemtrionis, imperijsque, ac regnis earũ concluditur virtutem verã cunctis præeſſe. 135

Cap. XII.

Imperio Catholicæ virtutis loca inhabitalium zonarum facta ſunt poſt ortum Chriſti habitabilia, ſimiliter Indiarum Occidentalium loca exculta, & ambitus Orbis terrarum circundatus poteſtate eiuſdem. 141

Cap. XIII.

Nullum regnum, vel ſedes tam potentes, & aduerſos, perpetuosq. ſenſit hoſtes, vt Pontifex Romanus, aduerſus quem pugnarunt Imperatores gentiles, hæretici, ſchiſmatici, contumaces, ac frigidæ pietatis Principes. & tamen quò magis eſt impetitus eo magis contrarium contigit eius, quod conabãtur illi, maioresq; fecit progreſſus in humanarum rerum iuriſdictione; ex quibus fit imperia pendere à veris virtutibus, non ſimulatis. 146

Cap. XIV.

Imperia, ac regna maxima inter Catholicos ijs gentibus diuinitus data, quæ magis abundarunt viris ſanctis, & Chriſtianæ pietatis propagatoribus; quod palam facit imperia pendere à veris virtutibus non ſimulatis. 158

Cap. VV.

Hæreticorum conatus omnes ad quinque capita rediguntur. qui in contrarium ſemper eis contingunt, atque ex illis magis Eccleſia amplificatur, atque ornatur. 165

Cap. XVI.

Macchiauelli præcepta quædam confutantur, quibus ait diuidendos ſubiectos, & exteros; extenuandosque ad augendas Principis opes, ac robur. 169

Cap. XVII.

Diuidendi ſubiecti, & exteri cum diuidunt ſe ipſos illi diuidentes vincula, quibus humanum genus colligatur. & quæ ſint illa. clariſſimumq. fit, vbi diuiditur religio, ac Pontificis Romani poteſtas diuidi, & commoueri Orbem totum, & vniuerſitatem rerum. ex quo fit inde pendere imperia, & Orbem. 177

IMPE-

IMPERIA PENDERE A VERIS VIRTVTIBVS, NON A SIMVLATIS

LIB. I.

ADVERSVS MACCHIAVELLVM.

AD LECTOREM Operis Prohemium.

A *Bonum eſt,quod appetunt omnia. ad Deum ſummum bonum, fontemq́. bonorum,reliqua omnia reducuntur. pars vult magis bonum totius,quàm ſuum, alioquin & ipſa,& totum periret. ſic procuratione proprij,& contemptu communis,pereunt vniuerſitates. Virtus eſt,qua tendimus in bonum. eam ſimulare haud licet. Virtus Heroica quæ ſit, collocata in ſummis virtutibus, & æternorum contemplatione.*

B NEMO eſt, qui negare poſsit, illud eſſe cuilibet rei bonũ,quod ad ipſam tuendam,propagandamq́. reuera facit. ſin minus erit malum, malumq́. dicetur, atque apparebit. Hinc rectè definierunt, bonum eſſe, quod appetant omnia. latere autem fraus in eo ſolet, quod allecti,atq; inflammati aliquando cupiditate, quæ in animo æſtuat obiectæ rei tenue bonum reſpicimus, atque oculos mentis occludimus multis, ac maximis, quæ deli-

teſcunt malis. Cum verò, quidquid eſt ex parte, non habens à ſemetipſo, ſed aliunde hauriens ea, quibus fruitur, neceſſariò reducatur ad illud, quod ex omni parte, atque ex ſeipſa habet commoda, quæ in alios emanant, Hinc omnia bona refluent in Deum, cuius eſſentia eſt ipſamet bonitas, vndique ſcaturiens, atque à ſuimetipſius inexhauſto, & interminato fonte, quidquid eſt optabile in vniuerſitatem rerum deriuans. Virtus porrò eſt illa, per quam tendimus ad boni ſiue alicuius, ſiue totius aſſecutionem, & quo promptius nos concitabit, ac vehemẽtius; bonumq. illud magis erit excellens, ac perpetuum, virtus eò nobilior, ac perfectior dicetur. Cũ verò partis eſſentia prius oriatur à toto, quàm conſiſtat in ſemetipſa, ob id prius volet totum. quàm ſe, nã ſublato illo, protinus hæc cõcidet. nõ cõtra ſi peribit hæc, illud etiã corruet. quin hoc ipſo, quod pars eſt, id omne eſt totius, totiq. debetur, & in ipſum propendet. quamobrem magis cupiet, quod confert ad tuitionem totius, & amplificationem, quam ſui. maius enim bonum, quod pertinet ad plures, quàm, quod pertingit vnum. Cumque homo quilibet ſit familiæ pars, familia ciuitatis, feliciter huic erit, quoties homo quiuis, & familia publicum priuato præponet, quod exigit virtus. A B C

Ε'ι γὰρ λαβῶν ἕκαςος ὃτι δύναιτο τὶς
Κρισὸν δ' ιἐλθοι, τῦτο κ' εἰς κοινὸν φέροι
Πατρὶδι, κακῶν αἱ πόλεις ἐλασσόνων
πειρόμεναι, τὸ λοιπὸς ἐυτυχοῖεν αν.
Nam ſi capiens quilibet, quodcumque poterit
Bonum veniret, atque illud in commune afferret
Patriæ, malis Vrbes ſanè minoribus
Agitatæ in reliquis feliciter tranſigerent. D

Rurſus, quando ciuitas eſt pars nationis alicuius, veluti Gallicanæ, plures autem gentes ſunt membra alicuius vniuerſitatis in vnum coëuntis, verbi gratia Catholicæ in vnam fidem, Pontificemque vnum; multæ vniuerſitates huiuſmodi pars ſunt totius humani generis Deo ſubiecti, Chriſtoque vniuerſorum Regi, Ex his illæ quæ magis vniuerſale, ac ſupremum bonum quæret, cæteris præcellet, cunctas ad ſe trahet, quamuis magnitudine ſuperent, veluti cunctę corporis partes ipſum caput mole ſuperànt, non virtute, ac præſtantia; atque ob id illi parent. ſic gemma aceruis immenſis lapidum nobilior, ac preciosior

A ciosior, vini paululum putri ſtagno ſanius, ac iucūdius, & quidquid adfert ſecum Diuinitatis conſortium cunctis naturę operibus eſt excellentius, atque optabilius. Chriſtus autem, qui Deus eſt, ac Dei filius cunctis pręſidet humanis, ac ſuperis, vt ad Deum cuncta referantur, cum ſine Deo ſtare non poſsint vllo modo: Deus ſine illis poteſt, neque in ordinem redigitur eorum. Idcirco horum, quæ recenſuimus, quodlibet impelletur à virtute, vt ſuimetipſius facere detrimentum velit, ob conſeruationem totius, & eius, quod continet inferiora, & ſine quo ſtare illa non poſſunt.

B Euidentiora fient, quæ diximus, contrariis exemplis. Nam ponamus in primis quamlibet corporis partem velle proprium bonum, negligere commodum totius, ac partium reliquarum. n lit oculus intueri, niſi cum percipit ſibi, quod affert robur, ac iucunditatem. ſine dubio corpus in præceps ibit, atq; vna cum cum corpore ipſemet oculus. Idem poſſumus fingere de manibus, pedibus, vel quouis membro. Rurſus idem contingat in familia. nolit ſe pater mouere niſi ob emolumentum, voluptatem, decusúe ſuum; ſimiliter coniux, filius, ac reliqui. ſine dubio non poterit ſtare vllo modo domus, quin neque filij nutrientur, C cum ſit hoc laborioſum, atque ita peribit ciuitas, ac proinde mortalium cætus. poſuit hoc ante oculos nobis Ariſtoteles euento antiquitatis nobiliſsimo, cum dixit victitaſſe ita priſcos illos Cyclopas, qui carnibus humanis veſcebantur, & ſanè paulatim deuenıretur huc proprij duntaxat commodi procuratione. legimus in Indijs Occidentalibus fuiſſe plurimas gentes, in quibus patres educabant filios ex ancillis ſuſceptos donec adulti ſaginarentur, deinde occiſos aſſabant, & comedebāt. Huc impelluntur ſcilicet ſua quærentes. In Orientalibus Indijs tum cæteri multi, tum Iaponenſes, qui magis iuſtituti ad D humanitatem videbantur, liberos ſuffocabant, quos commodè ipſi alere parentes non potuiſſent. ſic aliquando inter alios pater in filium, filius in patrem ſumit arma. Benè moratis hæc adeo ſunt execranda, vt laudentur patres, qui pro filijs emori volunt: neque repræſentari filiorum cædes à matribus factas in ſcænis velimus.

—— non tamen intus
Digna geri promes in ſcænam, multaq́. tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præſens

Nec pueros coram populo Medea trucidet, A
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus.

Quin quoties hæc memorantur, præſcribimus ea cum maxima indignationis grauitate recitari.

Indignatur enim priuatis, ac prope ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ.

Neutiquam porrò differt, an proprium quæratur palàm, & in omnibus, An verò in omnibus quidem, ſed occultè, ita vt honeſtatis quandam ſpeciem retineam, videarq. publico bono ſeruire; clanculum verò, ac per inſidias aliud moliar; obuerſetur mihi ante oculos ſemper lucrum faciendum. atque hoc ad conſilia numquam non aduocem. comparat hæc appoſitè Tullius equo Troiano, qui ſimulatione religionis admiſſus intra mœnia Troię incluſos hoſtium cuneos geſtans Vrbem perdidit. atque ita vna nocte funditus eſt euerſa ciuitas illas, quæ decennio non potuit expugnari. Quamobrem qui dicit virtutes ob proprium bonum ſimulandas, vult radicitus extirpari exiguo temporis interuallo omne humanum genus. Qui parietes virtutis attollit, culmen imponit, cuncta vndique expolit, ac fingit, ſed fundamenta, quæ latent oculos hominum, non fodit, ac firmat, ruinas inſidioſas ſtruit; iucundiſsimo vino, ac lautiſsimis epulis immiſcet venenum. At quilibet paululum detrahet è publico bono? ſic magis corruet, ac facilius. poſuit hoc ante oculos Sertorius, cum caudæ equinæ pilos totos ſimul velli non poſſe oſtendit; neque ſimiliter eorum magnã partem. at ſi paulatim vellatur vnus, atque vnus pilus, exiguo horarum ſpatio nihil ſupererit è cauda. magnam ruinam ſtruere Reip. vix eſt, vt aliquis poſsit, multas, ac multas inſuper paruulas rimulas ducere facilius datur. ſic inſidens maceriæ non adducetur in fraudem, ſiquis oſtendat ſe velle multa ſaxa abſtrahere, at ſi vnum, nó ita, nihil videbitur referre. permittetur. aceruus nullo calcis glutino compactus ruet, vnaq. illi inſidens.

(Margin letters: B beside "honeſtatis…ſeruire"; C beside "attollit…"; D beside "facilius datur…")

Vtar permiſſo, caudæq. pilos, vt equinæ
Paulatim vello, ac demo vnum, demo etiam vnum,
Dum cadat eluſus ratione ruentis acerui

An verò putamus hæc fore abſcondita? inepte. nihil occultum, quod non ſciatur. Principes facillimè occulent? omnium

mini-

A minimè. in excelſo poſiti ſunt, in Orbis totius theatro, ad innumeros eorum facta pertingunt, ab omnibus obſeruantur, omnium patent inuidiæ, vel vbi nulla eſt ſuſpicio, finguntur in eos multa. Quocirca triplex maximum, præcipuumq. malum continet hæc doctrina in Principibus. Nam quando actiones eorum pertinent ad omnes, omnibus afferent detrimentum, niſi bonum publicum reſpiciant. cum non poſsint abſcondi, cunctos inuitabunt ad idem doloſè peragendum; denique cum Principum geſta pro legibus habeantur, omnes putabunt id ſibi licere.

B *Hoc te præterea crebro ſermone monebo*
Vt te totius medio telluris in Orbe
Viuere cognoſcas, cunctis tua gentibus eſſe
Facta palam, nec poſſe dari Regalibus vſque
Secretum vitijs. nam lux altiſsima fati
Occultum nihil eſſe ſinit, latebraſq. per omnes
Intrat, & abſtruſos explorat fama receſſus.

Rurſus idem.

Primus iuſſa ſubi. tunc obſeruantior æqui
C *Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipſum*
Auctorem parere ſibi. componitur Orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, vt vita Regentis.
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Verùm, nequis decipiatur ambiguis, diſtinguendum nobis eſt, aliud eſſe virtutem ſimulare, aliud vitia diſsimulare. Hoc licet aliquando; illud numquam. nefas mentiri, & aſſerere à te
D haberi quod non habes. at occulere, ſiquid in te eſt fœdi, ſecus eſt, cum nihil aſſeueres, niſi forſan id ſignis, quibus eadem, quæ verbis, eſt poteſtas, oſtenderes à te vitio contrariam virtutem poſsideri. & tamen nominatim vitia ſua in vulgus efferre, atque oſtentare id eſt impudentis, qualem diuina lex acriter obiurgans arguit, frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere, &. peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt. Quocirca vt aliquis à ſe abeſſe aliquam virtutem generatim poſsit, ac debeat ſæpe quodãmodo profiteri, diuulgare tamen admiſſa ſcelera non ſemper decet. Nam veluti natura auerſatur, ac refu-

refugit obſcæna quædam palam facere,ſed abſcondi vult, ſic iuri naturali diſſentiens apparet, vt flagitia ſua quis prodat, ac nemo turpitudinem ſuam cogendus eſt detegere; permittendum,ſi fraus nemini fit, vt velet, atque operiat. Quamobrem ſtatuerunt ſapientes ijs tantum detegenda peccata, qui mederi ijs poſſent; cuiuſmodi ſunt viri prudentia, ac ſanctitate præſtantes; ſacerdotes ad audiendas confeſsiones inſtituti. ſimiliter ijs aperienda, quibus per illa damnum creari poſſet, neque imminenti malo datur alioquin occurrere. Cogitur legibus reus iudici legitimo crimina confiteri, cum teſte conuincitur, aduerſus quem nulla eſt exceptio, aut ſemiplena probatione, vel infamia certa. Cum verò publica ſunt, impudentis eſt negare. miſericordia tunc imploranda; ad clementiam confugiendum. nullus eſt alius relictus locus, niſi ijs maxima cum deteſtatione confitendis, ac pœnæ ad alios deterrendos excipiendæ, ac luendæ. hinc dictum Reip. expedire, ne delicta remaneant impunita. Ad ſummam differunt longè inter ſe iſta, ſimulare virtutē,diſsimulare crimen. hoc licet, ac debet quandoque: illud nequaquam. neutrum toleratur ad alios decipiendos,ac fraudes doloſè nectendas. Hoc enim peſtilentiſsimum malum partium, quæ ſemper in deteriora labuntur, niſi ferro præſcindantur,ac totius denique,cui cohærent illæ;quæ & dilaniarentur tandem maiori pœna à partibus læſis.

S.Thom.2.2. q.69.ar.1. & 2 vbi Caiet. Nauar.in Manual.cap.18. nu.54.& ſeq.

His explicatis apparet eſſe vtilitatem partis, ac totius, vt priuata ſeruiant communibus, & cuncta ad vniuerſitatis emolumentum dirigantur cogitata, & actiones. idque eſſe virtutis. quam ſimulare eſt nocentiſsimum ſubuertens omnia. Sed quando, vt etiam Philoſophus dixit, aliquod eſt virtutum genus, quod continentia vocatur, eorum qui raro,aut leuiter cadunt; aliud, quod nomen virtutis nudum retinuit; ſupremum,quæ Heroica,& Diuina appellatur, animi purgati vocat Plotinus,quod approbat S.Thomas.Heroicæ,ac diuinæ imperium debetur,ab hac regna pendebunt. Hæc verò eſt illorū, qui metas hominū ſuperent in bono communi procurando, & habendo tum ſibi in primis,tum verò opera ſua cæteris.In duobus autē maximè præcellent.Nā primo loco cunctis virtutibus erunt inſtructiſsimi, per quas ſint optime diſpoſiti ad oē actionis genus internū,& externū, vt ad bonū cōe tendāt, ac diuinitatē ſpirēt prudētia,iuſtitia,fortitudine,tēperantia. neq; recedant à linea rationis,vel duris fracti,vel iucundis deliniti.

Ariſt.Eth.7. cap 1.

S Tho.1.2.q. 61.art.5.

Regem

A *Regem non faciunt opes,*
Non veſtis Tyriæ color,
Non frontis nota Regiæ,
Non auro nitidæ trabes.
Rex eſt, qui poſuit metus,
Et diri mala pectoris;
Quem non ambitio impote
Et numquam ſtabilis fauor
B *Vulgi præcipitis mouet,*
Qui tuto poſitus loco
Infra ſe videt omnia.
Occurritque ſuo libens
Fato, nec queritur mori.

& alter.

Non poſsidentem plura vocaueris
Rectè beatum, rectius occupat
C *Nomen beati, qui Deorum*
Muneribus ſapienter vti.
Duramque callet pauperiem pati
Peiusque læto flagitium timet,
Non ille pro caris amicis,
Aut patria timidus perire.

Secundo autem loco, quòd caput eſt, erit in cæleſtium contemplatione defixus. Deum namque, Deique cultum ſpectabit in omnibus, exiget, procurabit. Huc referet cuncta. Au-
D di, quid viderit, ac litteris mandarit Ariſtoteles Ethic. lib. 10. græca omittemus ad vitandam prolixitatem. ſi beatitudo, inquit ille, muneris functio eſt virtuti conſentanea, probabile eſt eam præſtantiſsimæ virtuti eſſe conſentaneam. Atque hæc eius erit, quod in homine eſt optimũ: ſiue igitur quidẽ hæc mẽs eſt, ſiue aliud quidpiã, quòd videtur imperare, ac præeſſe debere natura, rerumq. honeſtarum, ac diuinarũ in ſe contemplationem continere (ſiue diuinum ſit hoc ipſum, ſiue eorum, quæ in nobis ſunt diuiniſsimum) huius muneris operatio perfecta,

& ab-

& abſoluta erit beatitudo. eſſe autem in contemplatione rerum poſitam ſupra diximus. & deinde. Erit autem talis vita melior, quàm hominis natura ferat; non enim quatenus homo eſt, ita viuet; Sed quatenus diuinum quiddam in eo ineſt: quanto autem hæc pars toti, & concreto antecellit, tanto & eius operatio muneris, illi operationi præſtat, quæ conueniens eſt alij virtuti. ſi mens igitur homini comparata eſt aliquid diuinum, vita quoque menti conueniens diuina ſit neceſſe eſt, ſi conferatur humanæ vitæ. neque verò nos oportet humana ſapere, ac ſentire, vt quidam monent, cum ſimus mortales, neque immortalia, cum mortales: ſed nos ipſos, quantum fieri poteſt, à mortalitate liberare, atque omnia facere, vt ei noſtræ parti, quæ in nobis eſt optima, conuenienter viuamus. nam etſi mole parua eſt, poteſtate tamen, & honoris gradu longè omnibus antecellit. & mox. qui verò muneribus fungitur menti conſentaneis, & hanc colit, eſtque optimè animo affectus, probabile eſt eum Deo cariſsimum eſſe. nam ſi Dij immortales curam habent aliquam rerum humanarum, quemadmodum veriſimile eſt: illud quoque probabile fuerit, eos re omnium optima, ſibique maximè cognita delectari. (hæc autem mens erit) iiſque, qui hanc maximè diligunt, & plurimi faciunt, præmia perſoluere, gratiamque referre, vt eorum, quæ ipſis cura ſunt, curam habentibus, rectaſque, atque honeſtas actiones obeuntibus, & exercentibus. hæc autem in ſapiente ineſſe maximè, non eſt obſcurum. eſt igitur Deo cariſsimus. Hucuſque Ariſtoteles. eadem Pythagorici, Platonici, Stoici. quin ille cecinit.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terras
Os homini ſublime dedit, cælumque videre
Iuſsit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Addebat Plato in Cratylo, ob eam cauſam Græcis homo dictus eſt ἄνθρωπος quaſi ἀνὰ θεορῶν, ſupera ſpectans.

Ex his quæ diximus apparet in vniuerſum quid ſit bonum, quid virtus, ab omnibus bonum commune procurandum, & anteponendum proprio, ac priuato. Simulationem virtutis eſſe perniocioſiſsimam. Virtutem, quæ cunctis præſit, oportere eſſe diuinam, conditionis humanæ metas exuperantem, contẽplatione cæleſtium fruentem. Sed quando mortales his haud obe-

A obediunt, tantiſque meritis deſtituti nihilominus regna appetunt, aut etiam pręficiunt illis impares tantæ celſitudini, ob id veluti Babylonicam turrim conſtruentes tum populi, tum Reges, hi nullis virtutũ quaſi alis niſi cæreis, ac fictis, quæ valeant ipſos extollere, ac ſuſtinere, ad tantam ſublimitatem volantes, illi autem Regibus fauentes, eoſque ſecuti, deijciuntur. deſignarunt hæc antiqui apologis quibuſdam valde concinnis. Audi vatem.

Terret ambuſtus Phaëton auaras
B *Spes, & exemplum graue præbet ales*
Pegaſus terrenum equitem grauatus
Bellorophontem
Semper vt te digna ſequare, & vltra
Quàm licet, ſperare nefas putando.

Bene terrenum. non enim terrenis, ac terrena ſapientibus, ſed cæleſtibus viris imperia committenda. Cur autem ſemetipſos, atque omnia ſua ſic homines præcipitant? Audiamus.

C

Sapientis eſt abſtrahere mentem à præſentibus, proſpicere futura, quod belluarum ſit inhærere ſenſibus. ob id viri ſapientes lucra quædam poſita ante oculos ſpernunt, reſpuunt, diuina, ac ventura contemplantes; contra verò belluis ſimiles, & inſipientes. Cap. I.

D INTER homines illi ſemper habiti ſunt omnium ſapientiſsimi, qui longè poſita, & abdita à cõmuni reliquorũ ſenſu mentis perſpicacia peruadere, & quaſi præſentia contueri poſſent. tum verò id admirabilius eſt iudicatum, cum ſenſibus objiciuntur contraria, quæ ſecus opinari, ac decernere omnino cæteris perſuaderent. Et verò hæc eſt inter nos, ac belluas differentia. Præſentibus hæ tantum mouen-

A efficiens ad omnia perferenda, profudendaq́. pro Deo, ac to-
tius humani generis incolumitate, ac fęlicitate. ac tales eſſe
dignoſcuntur,qui diuitias,honores,ſuauitatúq. illecebras om-
nes contemnunt,vt alijs,quantũ licet,illæ ſint; ipſi verò in pro-
curandis diuinis occupentur, niſi abſtrahantur inde quodam-
modo inuiti,Deum placent,humano generi concilient,morta-
les ab agreſti,ignorantiæ plena,ac belluina vita ad ciuilem,di-
uinamq́. perducant, atque ob hæc ad exitum perducenda non
verētur diris interdum ſe cruciatibus,apertiſsimęq. morti de-
uouere, multo laudabilius, ac fructuoſius, quàm Romani illi
B pro incremento Reip. ſuæ.

Tales autem fuere Pontificum Romanorum ſtudioſi,qui tra-
ctus omnes ſupra Danubium,Rhęnumq. excoluerunt,ideſt Eu-
ropæ duplum,Indias quoque Orientales,& Occidentales. Qui
verò talia moliuntur, atque efficiunt neceſſariò ſpernunt præ-
ſentia,atque ante oculos poſita,cæleſtisq. beatitudinis prǽmia
ſperant,atque appetunt largiſsimè ſibi repoſita pro his fluxis,
& caducis: Aut etiam ſupra communem conditionem ſubli-
mius euecti id ſpectant duntaxat aſperrima quæque ſubeun-
tes,vt Deo gratificentur, & obſequantur de mercede nulla co-
C gitantes, verum ſemetipſos totos illius arbitrio abſoluto per-
mittunt,& addicunt; Ad hos accedunt,qui exemplo Dei,Chri-
ſtique, cuius fuit exprimere, atque illuſtrare virtutis cuiusli-
bet officia,benigniſsimi ſunt,quamcumque illi partem vitæ na
cti fuerint,nemini factum volunt, quod ipſi ſibi, ac ſuis nollent;
ac proinde ab æquitatis norma neque vnguem latum recedũt;
atque ita in agendis,& appetendis iuſtitiæ lineam tenent,vt po
tius mortem ſubeant, quam deflectere ab illa inducant animũ;
nequę obiectis præterea dignitatibus quamlibet maximis,
D opulentia,iucunditatumve præſentium titillatione vlla dimo-
ueantur.

Ad hæc porrò facienda, & officium virtutis præſtandum ip-
ſa diuina prouidentia violatores iuſtitiæ in terris ad extremũ
puniente,obſeruatores autem remunerante,cõſenſu totius na
turæ,legibus omnium gentiũ,rerumq́. publicarum inuitamur,
pertrahimur,aſtringimur. Quæ cum veriſsima ſint,quì fieri po
tuit, vt Macchiauellus longè aliter affirmaret, ac ſuaderet, il-
liq. adhærentes nonnulli adhuc dicant,præſtare,vt ſpeciem re-
ligionis,pietatisq. in Deum,& mortales,laruamq́. iuſtitię reti-
neamus; illa fucum faciamus hominibus, vbi poſſumus aliquid

acquirere, & quáuis terga iuſtitiæ verterimus, obuerſa tamen A facie, fronteq. perfricta, non modo non fateamur nos eſſe iuſtitiæ contemptores, ſed in eo ipſo, quod perpetramus aduerſus eam, nos eandem maximè amplecti, & colere vociferemus, & omni ſophiſmatum genere ſic eſſe omnibus probare contendamus? atq; id Regibus potiſsimũ volunt iſti audẽdum, quod ſcilicet ſint à communibus legum pœnis exſoluti: & latè poſsint imperia propagare, illudere hominibus, & quiduis cuilibet facilius perſuadere.

Verum enimuero neque effugiunt iſti in terris vltionis diuinæ gladium, ac licet aliquando ad aliquam fęlicitatis partem B videantur imperitis, ac ſtolidis peruenire, breuis illa tamen eſt, fluxa, ærumnarũq. plenißima. ita vt ſatius omnino ſit exiguo contentum viuere, neque maiora appetere, quæ maiores afferant miſerias, ne contingat, quod ille ait.

—— tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.

Nam qui ſpectro, & vmbræ virtutum eſt affixus; illã vero reipſa non curat, vbi lucri captãdi occaſio offertur, ſimilis eſt eis, quí paſci ſimulacris, & imaginibus inaniter velint, & ſolidum C cibũ relinquentes, ita ſe famem depulſuros, ventriq. ſatisfacturos putant, cani Æſopico ſimiles, qui pontem pertranſiens ore fruſtum carnis geſtans cum proſpexiſſet in aquam ſubiectam, deceptus vmbra multo ampliori carnis, quam mordicus tenebat, hac dimiſſa in flumen proſiliens ore inhianti fluctus labentes identidem captans, non modo veri cibi detrimentum fecit, ſed etiam parum abfuit, quin ſuffocaretur vndis in apertũ guttur, quo fruſtra viſam carnis effigiẽ venabatur, illabẽtibus. Imperare, ac regnare eſt virtutis veræ. huic regna, & imperia debentur, Deo, qui cuncta moderatur, & virtutum momenta exa- D minat, diſpertiente; atque idcirco, qui fictæ adhæret, non verę, vt aliquid præſens acquirat, nõ lucrabitur in eo ipſo, quod ſe putabit manu tenere, verum iacturam quoque ad extremũ faciet eorum, quibus potitur, & qui ſecus affirmant, ſtultos, ac nugaces ſemetipſos produnt, & in apertiſsimam ruinam cæteros præcipites impellunt, vt è ſubiectis apparebit.

A

Reges ſimulatæ virtutis ſæpius hoſtili manu interfecti fuere; ſecus boni.

Cap. II.

IN primis autem Deus, à quo pendent omnia, Regibus iſtis, ac Principibus, qui ſe exiſtimāt aucturos ditionem figmentis virtutum, non ipſis officijs; fallacia, non veritate; fraudibus, non fide; plerumque vitam permittit auferri
B vel aperta vi, vel occulta, ita vt naturæ metas non attingant, & quo curſu alioquin ſuo perueniſſent, non perueniant, quod cæteris aut bonis Regibus, aut etiam mortalibus plerumque haud contingit. licet enim, quod eſt in diuinis libris ſimulatores regnare ſinat ob ſimilia populi vitia, vt par ſcilicet pari referatur, atque in quo delectatur vitiosè homo, iure in eo caſtigetur, vbi tamen exigit eadem iuſtitia, diuinæ vltionis gladius exeritur, ac ſceleſtis Regibus adimitur vita, vt quod eſt omnium iucundiſsimum, iucunditatúq. omnium caput amittant, quando venenata immeriti princi-
C patus, & gubernationis appetitione illecti, in aliorum iacturā, quod non debuerant, adipiſci, ac potiri voluerunt. atque ita cuncti agnoſcant iuſtitiæ ſemitis, ſinceræq. virtutis, non ruinoſis nequitiæ, & ſimulationis tectorijs inſiſtendum: alioquin tenue quidem lucellū faciemus in præſens, ſed maxima nos damna expectabunt in futurum, & quò ſerius iſta euenient, maior deinde auctio pœnæ erit perinde ac ſi ſorti fœnus accedat; nam ſcite illud.

Raro antecædentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.
D *Pœnaq. eò grauior, quò mage ſera venit.*

Ne quæſo longè abeamus. domeſticis exemplis, ijsq. illuſtriſſimis vtamur. in Italia Romæ ſumus. igitur florente Rep. Romana tres viri Principes inter ſe conſpirarunt, vt gubernacula illius tenerent, cæteris propè omnibus amotis, Craſſus diuitijs, Pompeius rerum geſtarū magnitudine, Cæſar animo præſtans. ille à Parthis eſt obtruncatus, Pompeius à Cæſare profligatus iuſſu Ptolomæi eſt occiſus, ipſe Cæſar numquid euadet? in ipſa curia viginti tribus vulneribus eſt confoſſus, & ad illius in quē

ſumpſe-

ſumpſerat arma, Pompei ſtatuam eo in loco ſtantem concidens ipſam ſanguine reſperſit. Hic finis illius, qui prætextu pietatis, ac iuſtitiæ inuaſit Remp. quaſi eam liberaturus è poteſtate illorum, qui cuncta ad arbitrium ſuum redegerant, ipſumq. bene de illa meritum volebant in ordinem compellere, & à debitis honorum gradibus amouere. A

Sed anno poſt hæc patrata ſequēti M. Antonius, M. Lepidus, C. Octauius inita inter ſe aduerſus Remp. coniuratione quaſi conſtituere illius labantem ſtatum vellent, triumuiros ſe ad eā confirmandam renuntiarunt, omnia fœdiſsimis proſcriptionibus, prædationibus, & rapinis fœdarunt, imperijq. prouincias partiti adduxerunt omnia in ſuam poteſtatem. Hæc anno 710. Sed 717. Lepidus ab Octauio victus, exercitu, & imperij parte ſpoliatus Circæis in perpetuum relegatus eſt. At M. Antonius 722. ab Octauio eodem profligatus mortem ſibi proprio transfixus enſe conſciuit. Octauius ipſe dictus eſt tandem, cum plurimas ærumnas egrè ſuperaſſet venenatis ficubus ab amatiſsima vxore Liuia necatus. B

Sueto. Dio. appia. Oroſ. Vellei. Plut.

Tiberius autem Cæſar, cum ſe cogi ad imperij gubernacula inuitum diu ſimulaſſet profeſſus ad illud accedere, vt ruens ſuſtineret, & oneri maximo ſuccederet, cum decubuiſſet, à Caio Caligula alimētorum ſubtractione debilitatus, veſtiumq. grauiſsimarum nimijs operimentis ſuffocatus, interijt. C

Dio.

Caius vero Caligula, Tiberio ſuffectus à Cherea ſic eſt percuſſus, vt nemo ex adſtantibus ab illo manus abſtinuerit, atque ita triginta vulneribus confectus occubuerit, ac fuere, qui præ indignatione deguſtauerint ipſius carnem, coniugemque occiderint, filiam parieti illiſerint. Hic eſt, qui principatus initio nullum non genus pietatis, clementiæ, liberalitatis, iuſtitiæque omiſit. & in tot, ac tanta mox ſcelera eſt prolapſus, vt dictu nefas videatur, ſimulata enim Virtus occultari diutius non poteſt, cuſtodes hortorum, in quibus eſt ſepultus, nocturnis vmbris adeo ſunt exagitati, vt nullam quietem capere potuerint, niſi cadauere concremato. in domo, in qua occubuit, nulla nox abſque aliquo terrore tranſigi potuit, niſi poſtquam eſt incendio conſumpta. D

Dio. Suet.

Quid Claudius? qui prope coactus imperium defuncto Caligula viſus eſt ſuſcipere & maximum virtutis cuiuslibet ſpecimen, auſpicatus imperium dedit, dein fraude abiecta nulli non ſceleri manus dedit? An non veneno ſublatus eſt? an non doloribus

Suet. cap. 10. & 11.

A ribus excruciatus nocte tota periit?

Ventum ad huius ſucceſſorem Neronē, qui per annos quinque ſe geſsit adeo laudabiliter, vt ab eius quinquennio multos Principes bonos diſtare Traianus iactaret, liberalitatisque, clementiæ, & comitatis exhibendæ nullam prætermiſit occaſionem. depoſuit deinde aſſumptam ad tempus perſonā, cunctisq. ſe ſceleribus inquinauit, quamuis exemplo ſuperiorū iuſtitiam, pietatemque ſummam ſemper adſimularet, donec ipſemet ſe adacto ad guttur ferro iugulauit. Suet. cap 9. & 10.

Numquid autem Galba, qui poſt hūc arripuit imperium, in-
B credibilemque auaritiam multis prætextibus velabat, effugiet arte ſimulationis manus vltricis iuſtitiæ? caput eius ceruicibus abſciſſum, piloque præfixum per Vrbem delatum ſcribunt.

Otho illi eſt ſubſtitutus, qui leni ſermone, inquit Dion, ficto, ſimulatoq. vultu indicare modeſtiam, oſcula ſingulis per annulos mittere, multa polliceri, ſenatoribus damnatis pęnas remittere, cæteros muneribus proſequi, crebro venire in theatrum, multitudinem fouere, peregrinos ciuitate donare ſolitus fuit, vt huiuſmodi fictionibus malitiā tegeret, & imperium teneret.
C nihilominus autem poſt aliquot & ipſe dies acie victus, ac deſperatione fractus ſemetipſum pugione tranfixit.

Sed qui finis erit Vitellij, qui defuncto Othone regnauit? An non hic veſte diſciſſa, ſanguine proprio perfuſus, laqueo ad collum religatus à militibus via ſacra pertractus eſt, & in foro collocatus? ibi militum pugnis, palmisq. diu cæſo, barba conuulſa, & cōtumeliis omnibus miſerrimè tractato caput obtruncant, ac per Vrbem totam geſtant.

Veſpaſianus, qui variis modis Orbem totum per auaritiam ſummam, quamuis eam callide integumento virtutum velaret,
D expilauit, Vitellioq. ſucceſsit, ambiguum relinquitur, an veneno fuerit è medio ſublatus, quod Adrianus in probris Tito obijciebat, ſi credimus Dioni.

Titus autem, cum crudelitate fuiſſet atroci ante adeptum principatum, cunctisq. ob id propè inuitis ad illum fuiſſet euectus, ſiue ex animo, ſiue vt gloriæ, temporiq. ſeruiret ſuffectus patri nullum non virtutis ſpecimen dedit, & tamen elabi meritas antiquorum ſcelerum pœnas haud potuit, adhuc enim ſpirans in arcam plenam niuis, quò citius moreretur, eſt cōiectus à fratre Domitiano.

Hic

Hic verò inuadens imperium, cum modeſtiam mire, inquit Suetonius, ſimularet, ius diligenter, & induſtriè diceret, atque initio ſic ab omni cæde abhorreret; vt illud Virgilij ſæpe pronuncians A

Impia quàm cæſis gens eſt epulata iuuencis.

deſtinaſſet edicere, ne boues immolarentur, cupiditatis, atque auaritiæ vix vllam ſuſpicionem daret, fiſci calumnias magna accuſatorum pœna reprimeret, identidem repetens, Principē, qui delatores non caſtigaret, inuitare, quin relictas ſibi hęreditates ab ijs, quibus liberi erant, repudiaret, verum cuncta hæc B per ſimulationem doloſè ageret, vt in omne flagitiorum prope genus aliquando erumperet, à propriis eſt libertis, vt merebatur, interfectus.

En itaque calliditas quò euadat, qui ſit exitus ſimulatorum, quòd fucatæ virtutis præmium. quid vita iucundius? quid optatius? Illa priuari aliquando eſt neceſſe. quotus autem quiſque eſt, qui nolit in lecto inter amicorum, domeſticorumq. amplexus, & ſolatia potius emori, quàm per violentiam, proditionē-úe ab inimicis occidi? Atqui iuſtitiæ conuenit, vt qui virtutem prodit, ab ea, cuius eſt cuncta moderari, in manus proditorum C tradatur, ac delicto ſit æqua, & conſentiens pœna. Sic itaque perierunt Craſſus, Pompeius, Cæſar, M. Antonius, Octauius, Tiberius, Caius, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, Veſpaſianus, Domitianus, qui adumbratæ probitatis officia venditarunt, vt ad imperia magna gradum ſibi facere poſſent.

Succeſſere his ex ordine Nerua, Traianus, atque Adrianus, è quibus illi & maximè Nerua veram virtutem ſectari ſunt conati.

Adrianus nō ita. fallaciis multis obtectus, vafro vir ingenio, vitia multa mentitis artium bonarum coloribus obducens; qui D cum vita extrema innumeris morborum cruciatibus multos menſes torqueretur, ſæpenumero venenū, gladiumque, vt mortem ſibi afferret, ac doloribus finem poneret, efflagitauit, nam quotidie mortem quodammodo obibat, inquit Dion, & minus acerbum putabat, ſemel tantum non toties eius tormenta perferre, ſed quando nemo ipſi petita concedebat, Maſtorem hominem barbarum partim minis, partis pollicitationibus coëgit promittere, vt ſe interficeret: cum verò ei locum ſub mamma commonſtraſſet, aufugit ille timore perterritus. Adrianus

autem

A autem diu cõqueſtus, quod ſibi mortem conſciſcere haud poſſet cibo vſus, potuq. minus idoneo tandem ſibi hac via vitam præſcidit.

Antonini Pius, ac Philoſophus deinde excepere illius imperium veras non ſimulatas virtutes enixi capeſſere, ac proinde liberi ab huius, de qua loquimur, vltionis diuinæ animaduerſione. Quin Imperante M. Aurelio Antonino Philoſopho Auidius Caſsius homo grauitatem ſimulans, innocentiamque, arripere conatus eſt imperium, multa in Marco mitiſsimo Principe repræhendens, ac ſe magna præſtiturum iactans, qui mox eſt in-
B terfectus contra ipſius Marci ſententiam, qui ſic ad fratrem cũ Tyrannidis affectatæ Caſsium per epiſtolam reum feciſſet, epiſtolam tuam legi, & ſollicitam potius, quàm imperatoriam, & non noſtri temporis. nam ſi ei (Caſsio) diuinitus debetur imperium, non poterimus interficere, etiamſi velimus. ſcis enim proaui tui dictum; ſucceſſorem ſuum nullus occidit. ſin minus, ipſe ſponte ſua ſine noſtra crudelitate fatales laqueos inciderit. & poſt. quod dicis liberis meis cauendum eſſe morte illius, planè liberi mei pereant, ſi magis amari merebitur Caſsius, quàm illi, & ſi Reip expedit Caſsium viuere, quàm liberos Mar-
C ci. Hæc ille, vt cognoſcamus antiquos ſapientes, quãuis à Chriſtiana religione alienos fuiſſe in hac ſententia, non vi potiſsimum, ſed virtute imperia comparari, & conſeruari.

Verum ſicut Antonini veræ bonitatis ſtudioſi vitam concluſere exitu non violento, ita longè ſecus moribus contrarijs degens Commodus, qui à Martia concubina, Lætoq. præfecto domeſticis ſuis eſt interfectus.

Quid autem de Pertinace Commodi ſucceſſore dicemus, qui numquam fuit habitus ſimplex, inquit Capitolinus, ac re erat illiberalis, ac propè ſordidus, mercaturasq. apud vada Sabatia
D na per homines ſuos exercuit, ac libenter munera lucri cupiditate accepit; cũ tamen alioquin bonus videri poſſet? An non & ipſi caput à militibus amputatum?

Iulianus autem ſubſtitutus illi numquid bonus, an ſimulator, cum pretio comparauerit imperium, magicis artibus deditus, ait Spartianus, gulæ, aleæ, gladiatoribus, humaniſsimus tamen ad conuiuia, benigniſsimus ad ſubſcriptiones, moderatiſsimus ad libertatem? An non hic etiam fuit à militibus interfectus?

Videri poſt hũc poſſet Seuerus effugiſſe diuinitus immiſſum ſuppliciũ cum multa flagitia adſimulatæ probitatis vmbra ve-

laſſet,niſi Dion teſtificaretur,morbum,quò perijt, & quem gra- A
uiſsimum fuiſſe prodit Spartianus,à filio ipſius auctum, à quò &
ſæpe ad mortem ſcribitur petitus. Seuero viuente Feſcennius
Niger,vtilitatis publicæ procurationem prætendens,vt imagi-
ne virtutis perſonatus in medium procederet,vitiaq. innume-
ra obtegeret,inuaſit imperium, & cõmiſsis cruentiſsimis prœ-
lijs eſt occiſus. quod etiam contigit Albino aſpiranti ad impe-
rij culmen non ſolidæ,ſed inanis iuſtitiæ vijs inſiſtenti.

Maximè verò, quid ſimulatio proſit, in Geta, & Caracalla
fratribus Antonini Seueri filijs apparuit. Mirum namque quã
doloſis inter ſe inſidijs illi agerent, vt beneuolentiam mutuam B
præſeferrent, cum ſolus eorum quiſque imperium tenere con-
tendit innixus vitio,non virtute. quocirca Geta à fratre Cara
calla interemptus in ſinu matris.

Caracalla à Macrino prætorij præfecto. Sed & hic non diu
cum filio Diadumeno potitus imperio fuit à militibus ſuis ob-
truncatus.

Quod autem facit ad rem, Macrinus hic oblatum fœlicis no
men recepit,Pij noluit habere. Atqui neque pietas à fęlicitate,
neque hæc ab illa ad vltimum diſſociari ſatis poſſunt. & qui ſe-
cus opinantur, vt nunc aperimus, infęliciſsimè pereunt. Scite C
igitur in iſtum cecinere, quaſi hiſtrionem, diſſonamq. moribus
intimis perſonam ſibi induentem.

Hiſtrio iam ſenior, turpis, grauis, aſper iniquus.
Impius, & fœlix ſic ſimul eſſe cupit.
Vt nolit pius eſſe, velit tamen eſſe beatus.
Quod natura negat, nec recipit ratio.
Nam pius, & fœlix poterat dici, atque videri.
Cui imperium infœlix eſt, erit ille ſibi. D

Neque igitur patitur natura,neque ratio,vt idem ſit impius,
ac fœlix. hiſtrionemq. agit, qui ſecus arbitratur cum Mac-
chiauello.

Veniamus ad Heliogabalum, qui forſam & vmbram virtu-
tis oderat,nedum dicamus odiſſe ipſius naturam.bonus tamen
aliquo modo videri fœtidiſsimus iſte cupiebat, ac vitia pro vir
tutibus venditare,quando religioſus haberi cõtendebat,& An-
tonini nomen oſtẽtabat.trucidatus eſt quidem,per Vrbis vero
vias tractus, in cloacam,Tyberimq. proiectus, vt diſcãt omnes

iuſti-

A iuſtitiam colere ex animo, non per ſimulationem.

Alexander Mammeæ Heliogabati ſucceſſor animo non fi-ćto videri poteſt iuſtitiam coluiſſe, atque ob id indignus, qui necaretur, ſed quando necandus erat, dignum fuit, ac laudabile, vt ab homine flagitijs omnibus cooperto Maximino necaretur, cũćtisq. palam fieret, ideo bonum, quod à malis haud probaretur. niſi quis adſentiatur Herodiano aſſerenti; idcirco interemptum à militibus, quòd curribus agitãdis, ac delitijs deditus nimis molliter aduerſus Germanos hoſtes ſe gereret, pacemq. ab ijs, qui puniendi, ac ferro caſtigandi erant, ob iniurias B illatas nummis datis emere vellet, neque ferre illi poſſent eius imperium, qui cunćta reuocaret ad arbitrium matris ad auaritiam nimium procliuis.

Maximinus itaq; à militibus è corpore militari primus neque Senator, neque Senatus decreto, inquit Capitolinus, Imperator creatus, dum iuſtitiæ, boniq. publici tuendi ſpecie atrociſſima crudelitatis exempla ederet à militibus eſt interfećtus vna cum filio.

Contigit idem Maximo Pupieno, & Balbino, quos Senatus Auguſtos fecerat, dum tacitas ob nimiam regnandi cupiditatẽ C diſcordias, Capitolino teſte, inter ſe fouent. neque commoda Reip. priuatis quod debuerant, anteponunt.

Gordianos autem tres quis iure aſſerat virtutibus veris ornatos, cum primus ſemetipſum deſperatione vićtus, ac dolori ſuccumbens ſtrangulauerit, ſecundus proles huius nimijs voluptatibus diffluxerit. Tertius ſiue nepos primi ex filia, ſiue ex hoc filio peſsimè à principio adminiſtrauerit imperiũ per eunuchos, ac flagitioſos quoſque, vt habemus è Capitolino, ſed emendatus à Miſitheo ſocero cum maximam ſui ſpem feciſſet vićtorijs magnis aduerſus Perſas opera illius relatis, mox eo D defunćto nihil ſe habere virtutis imperatoriæ palàm fecit, cum malis artibus Philippi Arabis circumuentus coaćtus eſt habere imperij ſocium, cumque id ferre non poſſet ob illius ſuperbiam, neque potuit emendare, neque ſciuit, atque idcirco nullis neruis prudentiæ ciuilis, aut militaris valens, conatusq. exercitum concitare in Philippum, nihil proficere ſe videns, fruſtra petẽs, quod ſilens habuiſſet, vt quouis loco eſſet in Rep. & exercitu nõ mala mente iuuenis, nulla tamen præſtans virtute, qua pondus imperij regeret, eſt occiſus.

Illius autem ſucceſſor Philippus ſcelere fačtus Imperator cũ

filio meritas interempti iuuenis, & ipſe interemptus cum pro- A
le ſua pœnas dedit, vt commenticiæ ſcilicet bonitatis nihil eſſe, quod valeat conſtent.

Num verò Decium laudabimus à veris virtutibus, cum vocet eum Victor artibus cunctis, virtutibusq. instructum, placidum domi, atque, vt loquitur, communem, in armis verò promptiſſimum? Sed quid veræ eſt in eo virtutis, qui atrociſsimè. ſæuijt vna cum filio Cæſare in Chriſtianos nihil mali merentes & nihil non boni reuera præſtantes? ita vt merito in ipſum veluti crudeliſsimum Conſtantinus inuehatur oratione, quam recitat Euſebius habitam ad ſanctum Epiſcoporum cætum, iureq. B
dicat cum maximo exercitu Romanorum à Scythis fuſum, & victum. demerſi verò in paludibus, dum fugeret, corpus numquam potuit inueniri. occiſus porrò eſt, & ipſius filius eodem bello. ſucceſſere his Gallus, & Voluſianus, & ipſi ob patratas Chriſtianorum tot cædes rei ab Æmiliano apud Interannam necati, qui poſt tres & ipſe menſes eſt occiſus.

Peiorem conditionem ſubijſſe videtur pari ſcelere obligatus Valerianus, qui ſi Victori credimus, ſtolidus, iners, neque ad vſum aliquem publicum officio, conſilio, ſeu geſtis accomodatus à Sapore Perſarum Rege captus in miſerrima ſeruitute vi- C
uens fuit illi pro ſcabello, quoties equum volebat aſcendere, filiusq. eius alter Valerianus miſerabiliter, inquit Pollio, fuit interfectus, cum fuiſſet Auguſtus appellatus à fratre, ſiue, vt alij volunt, patre Gallieno, qui cunctis vndique flagitijs coopertus à ſuis militibus eſt trucidatus.

Cum verò Decius, Gallus Hoſtilianus, & Galli filius Voluſianus, ac poſt hos Valerianus à Senatu legitimo decreto electi fuiſsẽt Imperatores, Æmilianus multo apertioribus dolis inuadere imperiũ contendit; infęliciusq. eſt è medio ſublatus. Tanti eſt in regnis potiundis vera, ac non fucata virtus. D

Id autem magis eluceſcit imperantibus Valeriano, & Gallieno cum triginta tyranni varijs machinationibus, palliataq. bonitate Auguſti eſſe pro viribus ſunt enixi. Ex his Cyriades cum cœpiſſet Antiochiam, Cæſareamque, & à militibus Imperator acclamatus fuiſſet, à Valeriano eſt interfectus. Poſthumus pater, & filius in Gallijs Imperatores creati ſunt ab exercitu. ex his filius à Lolliano interemptus. Lollianus à ſuis factus occiſus eſt à Victorino ſeniore, Victorinus ſenior à Poſthumo patre, iunior à militibus, idemq. necatus. Poſt hos Marius ex

A fabro ferrario Auguſtus triduo fuit,& à milite quodam confoſſus eſt. Ingenuus in Pannonia à legionibus euectus ad imperiũ uictus à Gallieno, ac trucidatus eſt: Regillianus in Illyrico ſimilliter ab exercitu electus, ab eodemq. neci datus: Aureolus à ſuis item militibus Imperator creatus, mox ab Imperatore Claudio victus eſt,ac cæſus:Macrianus cũ duobus filijs Macriano, & Quieto Auguſtus ſimiliter à legionibus vocatus, ab Aureolo cum ijſdem fuit interfectus. Odenatus princeps Palmyrenorum eodem modo ad imperium venit cum filio Herode. amboq. ſunt à conſobrino Mœonio perempti. Mœonius à B militibus ſuis & factus Auguſtus, & occiſus; idem contigit Baliſtæ,duobus Valentibus,Piſoni Theſſalico,Saturnio,Trebelliano,Celſo,Tito,Cenſorino,quos ab exercitibus factus Auguſtos ab ijſdem ſcribunt vita priuatos, addunt aliqui Herennianum, Timolaum,Firmumq. ab Aureliano interemptos, Victorinam denique ſiue Victoriam Tetrico regente occiſam,Zanobiamq. in triumpho Romæ per Aurelianũ ductam: At Gallienus, quo Remp.Romanam tenente tot eſt illa modis lacerata,ab Aureolo fuit occiſus.

Claudius ad imperium veniens, vt Sextus Aurelius refert à C Senatu comprobatus,& omnibus bonis carus,optimè,ac fęliciter imperauit, ac pro Reip. incolumitate morti ſe deuouit, qđ idem narrat,ab hoc genus eſt Conſtantini Imperatoris, Pollione id ſcribente,qui mirificis Claudium laudibus extollit, vt merito propterea nõ fuerit eo, quo cæteri,genere mortis indignè affectus, & quod virtuti debebatur, id plerumque reddi Deus oſtenderet prouidentia ſua, quamuis Quintillus ipſius frater ſumma iniuria fuit à militibus interemptus.

Aurelianus autem iuſtè;cum foret animi immodici, nimiæq́ crudelitatis,ait Eutropius,quàm falſis imaginibus virtutũ te-D gere conabatur & poſt Quintillum gubernacula imperij cœpiſſet.

Tacitus verò egregiè moratus,inquit Victor, & Eutropius, morte ſua præuentus, merito ab germanam probitatem ferri vim non eſt expertus.

Non ita Florianus Tacito ſubſtitutus. qui cum ferre non poſſet Probum ſibi præferri in imperio, victus dolore inciſiſque à ſemetipſo venis effuſo ſanguine,quòd ſcribit Victor, eſt conſuptus. Vopiſcus vult arreptum à Floriano imperium, ipſumque à militibus Europæ,qui prius ei fauerant,interfectum.

Probo

Probo imperante Floriani ſucceſſore Saturninus, Proculus, A
ac Bonoſus, ille in Oriente, iſti in Galliis Hiſpania, & Britãnia, Imperatores facti, à Probo victi, occiſique ſunt, qui & ipſe quãuis ex omni parte à Vopiſco commendetur militari factione, poſtquàm regnaſſet quinquennio, ſiue vt ſcribit Eutropius, annis ſex, menſibus quatuor, eſt interfectus. indignus, qui morte huiuſmodi afficeretur, ſi mores illorum temporum ſpectes, & ſcriptoribus eorum fidem velimus adhibere.

Ambigunt vero ijdẽ Carus fuerit bonuſne, an malus, qui fuiſſe in cauſa, vt Probus occideretur, à multis eſt inſimulatus, plerique omnes conueniunt apud Cteſiphõtem in Perſicis regnis B
fulmine ictum perijſſe, Numerianumque ipſius filium, qui cum fratre Carino Romæ commorante imperium ſuſcepit, in itinere ab Apro Socero imperium cogitante eſt necatus.

Carinus autem contaminatiſsimus homo multis prælijs varia fortuna cum Diocletiauo confligens tandem victus occubuit.

Diocletianus porrò Auguſtum pari poteſtate creauit Herculeum Maximianum, Cæſares Galerium Maximianũ cognognomento armentarium, Conſtantiumque Conſtantini patrẽ
eumque aliena inuidia ſuam, quòd ſcribit Eutropius, ſeuerita- C
tem vellet explere Chriſtianorum fuit hoſtis crudeliſsimus, ac depoſito ſponte imperio, timens ſibi à Conſtantij filio Conſtantino, venenum bibit, vt ſcribit Victor.

Herculeus vero Maximianus dum genero Conſtantino molitur inſidias, laqueo fractis ceruicibus vitam finiuit. ſic igitur infelici maxime & ignominioſo genere mortis obierunt Imperatores Virtutum falſis inuolucris obtegere intima vitia conſueti.

Conſtantius autem Cæſar imperium poſt illos ſumens miris
laudibus extollitur ab Eutropio; amiciſsimum fuiſſe Chriſtia- D
nis cuncti teſtantur, qui de illis meminere, ac proinde dignus, qui felici exitu ætatem ſuam terminaret, non vt alij ferro, veneno, laqueove miſerabiliter extinctus. vt videant cuncti, Deũ partiri pro meritis pœnas, ac præmia vel in terris, niſi ad maiora vocet in cælum male habitos ab impijs ſanctos, ac ſuperum ſedibus gloriaq. ornandos.

At Galerius Maximianns duos Cæſares creans in Oriente Maximinum, in Italia, & Africa Seuerum conſumptis acerbiſſimè genitalibus, inquit Victor, eſt abſumptus.

Seuerus

A Seuerus à Maxentio, qui Romæ inierat imperium, Rhauen-
næ militum doloſa deſertione eſt interfectus.

Maximinus à Licinio, qui vna cum Conſtantino eſt auſpica-
tus imperium.

Maxentius à Conſtantino victus in Tyberi demerſus obiit.

Ipſe denique Licinius iuſſu Conſtantini, in quem multa inſi-
dioſe machinabatur, eſt occiſus, mali omnes, ac plerumque vix
ipſa Virtutis vmbram ſecum ferentes, id, ſcilicet cunctis Re-
gibus exemplum relinquentes, non ſpeciem bonitatis captan-
dam, ſed ipſam rem. ni velint à Deo, cui nihil eſt opertum, & qui
B intima quæque ſcrutatur, & multo certius habet explorata,
quam nos ipſi, ſpoliari iucundiſsimis rebus, in quibus principē
locum tenet vita, quàm cum iactura omnium tueri omnes pro
virili contendunt; niſi ſint ex illorum numero, qui cæleſtium
contemplatione capti, & amore eorumdem flagrantes cu-
piant eripi illam ſibi, & quanto ocyus auferri, vt euolare in cæ-
lum poſsint, ac perfrui Dei ſuauiſsimo aſpectu, atque ita con-
trarium prorſus his contingit in vſura conſpicuæ lucis, quod
Tyrannis, qui mortem modis omnibus fugitant, vitam fugitan
tem trepidi ſequuntur, & quærunt. Verè enim dixit ille, quan
C tum ad bonos.

Integer vitæ, ſcelerisque purus
Non eget Mauri iaculis, neque artu
Nec venenatis grauida ſagittis
Fuſce pharetra.

Contra alter probè ſciens impios Reges immiſſa diuinitus
vltione ad extremum miſerabiliter è mundo tolli, canebat ad-
monens mortales.

D *Diſcite iuſtitiam moniti, at non temnere Diuos.*

Ecce enim intra annos tercentum ſexaginta plus minus fue-
re octuaginta quinque, aut plures, qui Remp. Romanam conati
ſunt adducere in ſuam poteſtatem, ac tulere nomen Imperato-
rum, & exceptis ſex, aut ſeptem, qui non ita mali videbantur, cæ
teri omnes interfecti, quippe qui virtutis adūbrata effigie per-
ſonati fucum facere imperitæ multitudini volebant, ſed irā Dei
vindicis effugere nullo modo potuerunt. Præſtabit itaque ſe-
qui veſtigia Regum non flagitioſorū, quales volunt eſſe M. Au-
relium Philoſophum, & Pium Antoninos, Neruam, Traianum,
Clau-

Claudium, Conſtantium Conſtantini Patrem, qui ad ſummum virtutis ex animo contendebant, nam qui fugacibus probitatis vmbris adhęret, protinus corruet, induet ſe in laqueos miſeriarum pleniſsimos, & omnium iucundiſsima vita exuetur, cum minus opinabitur. At quam longè ſecus accidit Chriſtianis Imperatoribus, ac Regibus, qui ſolidam pietatem reuera ſunt amplexati? Quàm pauci ex ijs ferro petiti, & occiſi? An non hæc nos contulimus ſingillatim recenſentes eorum ſucceſsiones, & cognationes ſigno de fęlici exitu Catholicorum lxxxix. lib.xx. infęlici hæreticorum xcvij. lib.xxiij. A

E Portugalliæ namque Regibus decem & ſeptem intra annos ferè quingentos nemo à ſuis; vnus ab hoſtibus peremptus. B

E Caſtellæ Regibus quinquaginta, & vno ab anno ſeptingenteſimo decimo ſexto vſq; ad noſtra tempora intra annos octingentos, ac fere octuaginta occiſi tres duntaxat.

Ex Aragoniæ Regibus viginti duobus ab anno milleſimo decimo octauo per annos quingentos ſeptuaginta, & amplius tres interempti.

In Francia è quinquaginta ſex ab anno quadringenteſimo nonageſimo quinto per mille nonaginta octo nemo è noſtris. Henricus enim ſecundus à non volente vulneratus occubuit; de tertio loquemur alibi, nam multa dicenda eſſent: ſimiliter Chilpericus hæreticus Sabellianus, neque totius Galliæ Rex, ſicuti neque Sigibertus, qui duo ferro ſublati. C

In Germania è quinquaginta quinque ab anno octingenteſimo quadrageſimo ſecundo per annos ſeptingentos quinquaginta vnũ quatuor è noſtris occiſi, nam reliqui ſchiſmatici fuerunt, & à noſtro cœtu diuiſi.

In Hungharia è triginta quatuor noſtris tres ab hoſtibus Hungaricis, duo à Turcis occiſi per annos circiter ſexcentos.

In Polonia per annos propè quadringentos, nã reliquos Ducibus damus, tres duntaxat necati, duo ab hoſtibus ferro, vnus veneno. D

In Bohemia per annos propè quadringentos Reges viginti fuerunt, ex his tres ab hoſtibus, vnus veneno à domeſticis eſt extinctus.

In Dania per annos quingẽtos triginta quatuor, & amplius, è noſtris Regibus ſex duntaxat interempti.

In Suecia intra annos fere ſexcẽtos, è triginta tribus noſtris nouem perempti.

Atque

A Atque hæc quantum pertinet ad ſucceſsiones Regum, quorũ ſint exitus noti, neque ob antiquitatem nimiam tenebris inuoluti, vt appareat Reges noſtros, qui propius acceſſere ad mętã ſolidæ probitatis, minus obnoxios fuiſſe vltioni cæleſti, niſi ſiqui poſuerint vitam ob ipſius veritatis profeſsionem, quod longè iucundiſsimum, & glorioſiſsimum cunctis contingit, & ab omnibus reputatur, qui verò fuerint nominatim Reges è noſtris ſuperius adducti, qui volet cognoſcere, ne actum agamus, ex allatis ſignis citato libro poterit intueri.

B *Imperatoribus, ac Regibus ſimulatæ virtutis exigua vitæ vſura plerumque in regno fuit; bonis autem contra. Cap. III.*

AT forſan Imperatoribus iſtis, qui ſimulata virtute imponere hominibus conabantur, vitæ longa fuit vſura, quamuis ea ferro poſtea fuerit abrupta, & quod fini defuit ad fęlicitatem, diuturnitati ex altera parte adfuit, quaſi ęqua
C lance compenſatum. Verum longe ſecus accidiſſe is cognoſcet, qui hiſtorias peruoluet, & examinabit. quamuis haud negemus fieri interdum ſecus poſſe, vt peiori longior ſit vita ad exercendos bonos, & puniendos acrius malos, verum pronunciandæ nobis res ex maiori parte.

Nam multi ex Imperatoribus, quos recitauimus, vix annũ tenuerũt imperij Romani habenas. Nullu, Octauiano excepto, exegit annos quadraginta.

Omniũ diutiſsimè poſt eum regnarunt, qui bonis adnumerãtur Traianis annis decem & nouem, menſibus ſex, diebus decẽ,
D Antoninus Pius viginti duobus, menſibus ſeptem, diebus viginti ſex; & M. Aurelius Philoſophus decem & nouem, ac diebus vndecim.

Cunctos hoſce, vt vera pietate, ſic etiam longa vita ſuperauit ipſe Conſtantinus, cui dant annos triginta, menſes nouem, dies viginti ſeptem.

Illud mirabile, & obſeruatione digniſsimum recenſeri à nobis nonaginta duos tum Imperatores, tum Reges, qui à Catholica religione defecerunt, neminemq́. ex eis vltra annos quadraginta regnum ſuum viuendo protendiſſe. enumerauimus

nomina illorum, vitæq. tempus ſigno nonageſimo ſeptimo de A
infælici exitu catholicorum Regum lib.xxiij. vt appareat ſcilicet oraculi illius veritas, doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Contra nos produximus plures è noſtris Imperatores, ac Reges, qui ſupra annos quadraginta, & aliqui ſane longè diutius regnarunt.

In vniuerſum porrò, ſi quorúlibet locorum Regias ſucceſsiones intueamur, illud in primis certiſsimo cognoſcemus, eos q́ ſolidis virtutibus minus valuerunt, ſed adumbratas captarũt, breuiori vitæ curriculo fuiſſe, contra qui probitatem germanã factis exprimere ſunt conati. Neque verò id ſemper, vt diximus omnino euenit, ſatis eſt ſi plerumque. Quod enim pœnæ B
infligendæ impijs detrahitur ex vna parte, id reponi poteſt ex alia, quæcumque illa ſit.

Illuſtrauimus hanc veritatem producẽtes in medium, quod accidit Imperatoribus Romanis, generatim hæreticis quibuſcumque. Oſtendamus id euentis aliorum prolatis in medium. dimiſſa verò Aſſyriacorum Regum fabuloſa proſapia, cũ quinque Aſſyriacos Reges Niniue confidentes è diuinis libris habeamus Phul, Teglatphalaſar, Salmanaſar, Sennacherib, Aſſaraddon. cunctis flagitioſior, quamuis effigiem virtutis obtenderet, fuiſſe videtur Sennacherib, qui Iudæos multis modis afflixit, vt eſt in libro Thobiæ. Huic vitam breuiſsimam fuiſſe inter alios colligimus lib.23.cap.8. C

Sic inter Chaldæos Reges, qui Babylone cõmorabantur, exiguum vitæ ſpatium fuit Euilmerodacho filio Nabuchodonoſori filio, qui duobus duntaxat annis imperauit, atque ob admiſſa facinora fuit à marito ſororis ſuæ Nigliſaro peremptus, vt ait Beroſus. hic verò inuadens regna ad Nabonitum pertinentia quatuor annis eſt ea potitus, relinquens hæredem filiũ Laboſardachum, qui poſt nouem menſes eſt interfectus ob malos mores, quos adhuc puer referebat. imperiumq. redijt ad D
Nabonitũ, qui ex agnatione Nabuchodonoſori fuit, & ad quem reuera ſpectabat.

Inter Medos olim breuiori ex omnibus tempore imperarũt Phraortes, & Aſtyages, ille annis viginti duobus prœlio cęſus cum bellum nulla, quæ iuſta afferatur, cauſa mouit in Aſſyrios, hic triginta quinque, cum Cyrum nepotem ſuum clam necari ſummo ſcelere iuſsiſſet, filiumq. Harpago patri comedendum crudeliſsimè apponi, quod hic mandata ipſius haud perfeciſſet

A in Cyro infante occidendo. Reges alij Medorum Dioces quinquaginta tribus annis, Cyaxares quadraginta regnauit; quos tantis flagitijs non legimus inquinatos.

Videamus Perſicorum Regum notiſsimos exitus; & cognoſcamus exiguum vitæ tempus ipſorum vitioſioribus fuiſſe. Hi verò numerantur Cyrus, Cambyſes, Darius Hiſtaſpis, Xerſes, Artaxarſes, Longimanus, Xerſes Secundus, Sogdianus, Darius nothus, Artaxerſes Memnon, Artaxarſes Ochus, Arſes, Darius. Inter hos vitæ fuit exiguum tempus Cambyſi, quem vult Herodotus lib. 3. regnaſſe annis ſeptem, menſibus quinque, & B ſæuiſsimũ fuiſſe narrat. Xerſes Secundus præfuit menſibus tantum duobus, Sogdianus ſeptem, dolisq́. regna occuparunt, vt è Diodori lib. 12. docemur. Poſt hos rerum potiti ſunt Arſes annis tribus, Darius Codomannus quatuor virtutibus longè inferiores Regibus priſcis, ac proinde etiam meritò indigni, quibus vita eſſet diuturna. Diriſsimus tamen factis nulli videtur ſecundus Xerſes Darij primi filius, quæ refert Herodotus vltimo libro, quamuis rerũ potitus ſit ſupra annos viginti triſtiori fine, quam cæteri vitam concludens, turpiſsimè namque à Græcis fuſus, cum ſuis, quorum copias innumeras ducebat, vt refert C Herodotus lib. 7. ab Artabano præfecto eſt interfectus. atque diuturnius illi regnum, ſed exitus longè infęlicior. Reliqui multo diutius, quàm dicti vixere; Darius primus triginta ſex annis, Artaxerſes Longimanus quadraginta, Darius nothus decem & nouem, vt è Thucydide, qui fuit his temporibus, colligi poteſt, Artaxerſes Memnon quadraginta tribus, Artaxerſes Ochus viginti tribus. Sic itaque liquet Regibus vitioſioribus è maiori parte minus regnandi ſpatium, non ita ſceleſtis maius extitiſſe. An ſatis hæc ſunt nobis? Num vera dixit ille diuino afflatus numine, quis eſt homo qui vult vitam diligit dies vide- D re bonos, prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum? Et quis diuini ſcriptoris verba poterit vllo modo falſa affirmare? En apertiſsimè vera ſunt. non ſemper omnino; fateor equidem non ſemper vſquequaq; euenire. verùm (quod accidit in omnibus humanis) maiori ex parte ita contingunt. procedamus igitur, atque oſtendamus, quod propoſuimus eſſe veriſsimum pluribus adhuc, ijsq́. clariſsimis euentis.

Alexander Magnus poſt hos regna Perſica occupauit, qui magnum virtutis ſpecimen à principio dedit, maximam virtutum ſpem fecit, mox in ſæuiſsima facinora erupit, ita vt plures

ex amicis enſe ſuo immerentes peremerit, quàm hoſtes; Hinc licet annis duodecim cunctas expeditiones abſoluerit, duobus tamen duntaxat imperaſſe ditionibus partis aſſeri poteſt. A

Ex eo Perſicas regiones tenuerunt Seleuco prognati. Seleucus verò ipſe iuſtitia, & pietate Reges omnes antecelluit, inquit Pauſanias in Atticis lib. 1. ac dominatus eſt Euſebio teſte annis triginta duobus; meruitq. vt eius poſteri latè propagarent, ac tuerentur imperia, quæ nacti erant. Antiocho Magno diuturnius longe regnum fuit annorum ſcilicet triginta ſex, vt Euſebius docet, vel triginta ſeptem, quod placet Appiano, quãuis varijs exagitatus caſibus miſerrimè trucidatus fuerit, qđ B Strabo lib. 16. Iuſtinus 32. narrant. Multis tamen ornamẽtis virtutum floruit, & quamuis dolo occiderit fratrem, laceſsitus antea, quæſitusq. ad mortẽ id fecit. Omniũ breuiſsimè regnarunt Seleucus Ceraunus annis tribus homo præcipitis animi, conſilijque, atque ob id Ceraunus eſt vocatus, quaſi fulminis inſtar ferretur; Antiochus Epiphanes, qui ſæuijt atrociſsime in Iudæos annis vndecim. at reliqui omnes, qui defuncto Demetrio Sothere præfuerunt ignauia, ſocordiaq. languentes nihil habuere virtutum, niſi fucum nobilitatis antiquæ, maiorumq. ſuorum facta. C

Sed ne grauemur quæſo adducere in medium quot annis dominati fuerint Ptolomæi Reges, & inſpicere, quã longa eis regnantibus fuerit vita. Igitur Ptolomæus Lagi filius, omnium primus imperauit annis quadraginta, philadelphus triginta octo, Euergetes viginti ſex, Philopater ſeptẽdecim, Epiphanes viginti quatuor, Philometer viginti quinque, Euergetes viginti, Sother decem & ſeptẽ, Alexander decem, Ptolomæus Cleopatræ filius octo, Dionyſius triginta, Cleopatra viginti duobus. Ex his, vt apparet tres primi diutius regnarũt. Atqui, teſtis eſt Strabo lib. 17. cunctos poſt tertiũ Ptolomæum male vixiſſe delicijs corruptos. atq; ita de iudicio ipſius tres primi meliores, ac vitæ laudabilis. Omnium peſsimos vult idem fuiſſe Philopaterem, Euergetẽ, vltimumq. Ptolomæum quibus propè omnibus breuior in regno vitæ curſus fuit. Quam ſapienter itaque Salomon illud pronunciauit, & in ſua prouerbia retulit. Audi fili mi, & ſuſcipe verba mea, & multiplicentur tibi anni vitæ tuæ, viam ſapiẽtiæ monſtrabo tibi, ducã te per ſemitas æquitatis. & mox. tene diſciplinã, & ne dimittas eam: cuſtodi illam, quia ipſa eſt vita tua; ne delecteris in ſemitis impietatis; nec tibi placeat D

malo-

A malorum via. Audin;vt qui ſemitis æquitatis inſiſtit,ac ſapientiæ vijs,ei multiplicētur anni vitæ? niſi forſan aliquis bonus ab imminentibus ætatis futuræ periculis, atque ærumnis,quibus vniuerſi populi ſint affligendi,diuina clemētia ſubtrahatur,aut qui malus eſt conſeruetur idcirco in vita,vt longioribus procedentium temporum fluctibus,ac tempeſtatibus agitetur,atque obruatur; vel in ſublimius proſperitatis humanæ culmen euectus, grauiori ruina allidatur ad terrā; quod ita ſane accidere in vtramq; partem quilibet, vbi legens obſeruauerit mortaliū facta,facile poterit intueri. Ne pigeat adhuc tamen ad illa nūc
B mentis oculos aduertere,quæ modo viuentibus magnā faciant admirationem, nam præſentibus maximè ſolent animi noſtri, ac non ita præteritis commoueri.

Otthomanorum poſteritatem latè ſcimus imperare, ac tertium propè inſtare ſæculum, ex quo rerum ſatis amplè in Orbe terrarū potitur. Diſcutiamus igitur,ecquis inter eorum Reges breuiori imperio fuerit. Atqui ex ijs, quos conuenit dominatos,duo ſunt Selimi,quibus Turcicas res gubernantibus exiguū vitæ curriculum fuit,ijq́. omniū,ſi geſta ſingulorum reuocauerimus ad memoriam,ſimul diriſsimi. Ac primus quidē Selimus,
C vt dominaretur Baiazethem patrē veneno per medicum dato: duos autem fratres,Corchutum, & Acomathū, ac nepotes ex eis ſeptem ſuſtulit ex hac luce: Secundus autē quinque tum fratres,tum nepotes necari mandauit; atrociſsimis præterea ſceleribus alijs ambo ſe turpiſsimè cōmacularunt. atq; illi quidē non niſi annorū ſeptem fuit imperium,huic neque totidē,cęteris conſanguineis,ad quos rerum ſummā perueniſſe conſtet inter Scriptores,plurium. Videtur hos æquaſſe crudelitate Baiazetes Primus,qui ſeptē fratres,vt ſolus eſſet Rex, occidit, & tamen annis viginti ſex aſſeritur imperaſſe. ſed imperauit ille
D quidem,quò caſu acerbiori ad terrā proſternetur. Nā cruentiſſimo prœlio,quo pluſquā Turcorū millia tercēta feruntur occubuiſſe,profligatus à Tamerlane Tartarorū Rege,captusq́.& cauea ferrea incluſus circūducebatur,ac nōniſi quiſquilias è mēſa proiectas edebat, coniunx fœdiſsime nudata Tartaris accūbentibus miniſtrare cogebatur, atq; vbi volebat ille inſilire in equū,dorſo incuruati pedes imponebat,quarū rerum denique, & aliarū percitus indignitate caput in obiectū ferrū ſępius impellens miſerrime attulit ſibi ipſi mortē. Atq; hæc iſtis ſane acciderunt. longè ſecus Solymano, qui regnauit ætate noſtra, &

quem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

quẽ Iouius interdũ plus æquo, neq; tamen prorſus iniuria lau- A
dat,atq; extollit. fuit enim,ſi ſpectes eiuſdem conſanguinitatis alios Reges præ cũctis egregiè moratus. Quocirca meritò diuturnius illi hucuſq; regnum fuit,quàm reliquis ſuorum.nã quadraginta ſex annis Turcicas res eſt moderatus. quòd hactenus ex eius gente nemini accidiſſe poteſt affirmari.

Sed adhuc alia quædam nobis haud videntur ſilentio prætereunda,quæ clariſsimè illuſtrare veritatem poſſunt,& ad argumentum propoſitum maximè faciunt. In his vero eſt illud præcipuum.Cum ſit in oraculis diuinis,omnis potentatus vita bre
uis,nihilominus ſi conſideremus tempus, quo regna quælibet B
durarunt,diuturnior vita in regno catholicis fuit, quam quibuſuis alienis à religione Chriſtiana. Ac plurima quidem regna ex antiquiſsimo tempore numerantur, quibus ſui Reges fuerunt per duo ſiue etiam plura annorum millia. Nobiliora ſunt, Aſſyriacum, Chaldaicum, Perſicum, Parthicum, Ægyptiacum,Medicum,Macedonicum,Lydicum,Siculum.Cætera anguſtis limitibus, temporumve ſpatiis concluſa neque ſunt huiuſmodi,quales noſtrorum Ducum, quos ita vocamus, principatus,quorum plurimos adduceremus, qui dominantes
huic vitæ ſpatio ſuperfuerunt, veluti Mathildis Comitiſſa, cui C
magna,inquit Lãbertus Italię pars obediebat,& ab anno 1065. ad 1115.imperauit. mirandum ſit autem tot regnis, per tanta temporum curricula non niſi duodecim Reges fuiſſe,qui regnãtes peruenerint ad annos quinquaginta,aut hos ſuperauerint. ſunt autem notati.

In Aſſyriaco.

Oaleus regnauit annis	52
Ephratanes	50

In Medico.

Dioces	53

In Perſico,

Sapor ab vtero.	70

In Aegyptiaco.

Rhemeſſes	68
Zetus	55
Rhampſes	66 D
Cheopes	50
Chephrenes	56

In Macedonico.

Perdiccas I.	51
Amyntas I.	50

In Lydio.

Halyattes.	52

At

A At Chriſtianis non contigit regnare, ſi de nobilioribus regnis agamus, niſi poſt Conſtantinum. ſic itaque tranſacti non ſunt mille, ac ducenti anni, quin neque aliquibus ſexcenti, & tamen multo plures fuerunt, qui regnandi huiuſmodi mætam tranſcenderunt. Igitur totius Orbis Regibus cognitis opponimus noſtros; toti antiquitati, ac tot ſeculis, multo pauciores annos, & tamen noſtri ſunt ſuperiores. exempla producamus.

In imperio Orientali.

B Conſtantinus Octauus regnauit annis 53

In Germanico.

Henricus III. 52
Fridericus III. 53

In regno Portugalliæ.

Ioannes I. 50

C *In Caſtella.*

Alfonſus VII. 51
Alfonſus VIII. 53

In Aragonenſi.

Iacobus 62
Petrus IV. 51

In Nauarrenſi.

Sanctius Maior 54
Garzias Maioris filius 51

In regno Gallidrum.

Childebertus 59
Clotharius 51
Ludouicus Pius 58

In Anglicano.

Henricus III. 56
Eduardus III. 51

In Bohemico.

Venceſlaus 55

Hæc igitur nouem regna obiicimus, nouem ſuperioribus è
D toto antiquitatis æuo, atque ex Orbe toto, in medium productis, vt omittamus alia, quæ proferre poſſemus, ex alia parte catholicorum Hungaricum, Sueticum, Danicum. Verum quod ſupra notauimus à Sapore in Perſia regnatum fuiſſe annis ſeptuaginta, id non eſt omnino exploratum, vt alibi examinauimus, atque his ſeptuaginta annis attribuendi ſunt anni pupillares quatuordecim, quibus regno adminiſtrando impar fuit, quos ſi demas, reliqui erunt, quinquaginta ſex. Veluti porro catholici ſuperarunt antiquos in diuturnitate regnandi quoad quinquaginta annos hoc, quem protulimus, numero, ſic multo maiori, vel quoad quadraginta, vel triginta, aut quamuis aliã

ſummam

ſummam annorum,ita vt nulla ſit priſcorum comparatio cum A
noſtris.

Quod eò magis mirandum,quod longior quondam vita fuiſſe mortalibus videtur ante ortum Chriſti: quod prouiderat Deus,ad replendas colonis terrarum ſolitudines.Qua in re attendenda eſt adhuc iuſtitia cæleſtis,quæ hæreticis Regibus cõtractius regnandi tempus aſsignat, quàm quibuſlibet aliis à Chriſtiana pietate alienis;quaſi Deus magis auerſetur hæreticos,quam cæteros. An verò quidam longæui Reges, à priſcis decantati tot annis regnarint,quot vixere,haud conſtat;veluti
Neſtor,ſiquidem velimus eum tot annos vixiſſe.ac fabulis locũ B
demus,& Archangantonius,eſt incompertum. Auguſtus quidẽ ſolus imperauit annis quadraginta duobus. Antea neq; omnino dominatum tenuit,neque ſolus, ſed cum triumuir eſſet, aut Antonij,ne ſenatui locum demus,ſocius.

Rurſus eſt ſuſpicienda diuina iuſtitia,quod cũ Reges Otthomanici attingant propè annum tercenteſimũ,ex quo regnant, nullus es eis tamen ad annum quinquageſimum imperij peruenit. Quid autem dicemus de tot Arabibus Caliphis, de tot Saracenicis Regibus,Sultanis,vt vocabãt,Ægyptiacis, Numidis,
Lybicis,Mauris, Tartaricis, Medicis, Perſicis, qui Mahometis C
decreta ſectantur? ſumus ſupra annum nongenteſimum, ac ſeptuageſimum,ex quo Mahometes habere cœpit ſectatores,Reges ijs dedit,& innumeræ gentes illi ſe ſe addixerunt. Ac fieri potuit,vt nemo extiterit regni tam diuturni?Demus aliquem, qui nos licet harum rerum curioſos inueſtigatores fugerit. Nõbiliora certè regna, quale eſt Turcicũ, & quod Caliphæ tenuerunt,neminem videntur ciere poſſe.

An eſt aliqua tanti euentus cauſa naturalis? Eſt ſanè. Corporis valetudo,atq; adeo vitæ diuturnitas pendet ab animi tran-
quillitate,continentia, pudicitia, & reliquis huiuſmodi virtu- D
tibus, quas præ cunctis legibus lex Chriſtiana ingenerat animis hominum,vt nulla ſit illi vllo modo æquanda; vt iam mirũ non ſit,ſi Reges noſtri diutius viuant,quod ſcilicet in vitia præcipites haud ruant,ob plurimas occaſiones,quibus allici,& abripi ſolẽt ante omnes alios Principes viri,& eorum vita decurtari. Huc accedit, quod noſtra religio eſt pleniſsima amoris, ac manſuetudinis,aliæ ſupeſtitiones non ita, & omnium minimè Mahometana, quæ ius omne in gladio ſtatuit; Hinc ferro abrumpitur vita pleriſque Regibus à noſtra pietate alienis,ve

luti

A luti male moratis. Experimento hæc omnia comprobantur.
Ægyptiacos Reges vult Diodorus Siculus in magna modera-
tione ad iuſtitiam præclarè inſtitutos imperaſſe. Ex his,vt ap-
paret,plures diutius imperarunt. Inter noſtros Gallicani,dein
Caſtellani,Aragonenſes,Nauarrenſes ex ordine quodam.

Ad ſummã conſtat in vniuerſum verè aſſeri illud impijs Re-
gibus,ac fraudulentis eſſe vitam multo breuiorem,quam pijs,
ac ſinceris, vt appareat illud etiam verè à Regio Propheta di-
ctum,venite filij,audite me, timorem Domini docebo vos,quis
eſt homo,qui vult vitam,diligit dies videre bonos? prohibe lin-
B guam tuam à malo,& labia tua ne loquantur dolum.En igitur,
vbi ſit poſita vita noſtra, in eo, vt dolum non loquamur, nunc
itaque reliqua inſpiciamus.

Multi ſimulatæ virtutis Reges quibus mala ſuperiora non contigere,regno expulſi in maximis miſerijs vixerunt. Cap. IV.

QVOD ſiqui Reges effigiem virtutis,non ipſius
C officia vera prçſeferentes euaſerunt è ſuperio
ribus malis, irruerunt miſerrimè in alias, &
quidem grauiores ærumnas. Regno namque
ſpoliati in fœdiſsimis calamitatibus ætatis re
liquum traxere. Nam quis ignorat, quæ Dio-
niſio Syracuſarum tyranno contigerunt? au-
diamus Iuſtinum loquentem lib. 21. Interea Dionyſius Syracu-
ſis receptus,cum grauior,crudeliorq. in dies ciuitati eſſet, ite-
rata conſpiratione obſidetur.Tunc depoſito imperio arcem Sy
racuſanis cum exercitu tradidit, receptoq. priuato inſtrumen
D to Corinthum in exilium proficiſcitur. Ibi humillima quæque
tutiſsima exiſtimans in ſordiſsimum vitæ genus deſcendit; nõ
contentus in publico vagari, ſed potare; nec conſpici in popi-
nis, lupanaribusque, ſed totis diebus deſidere; cum perditiſsi-
mo quoque de minimis rebus diſceptare;pannoſusque, & ſqual
lidus incedere;riſum libentius præbere,quàm captare; in ma-
cello perſtare, quæ emere non poterat,oculis deuorare; apud
çdiles aduerſus lenones iurgari;omniaq. ita facere,vt contem-
nendus magis, quàm metuendus videretur. nouiſsimè ſe ludi
magiſtrum profeſſus pueros in triuio docebat, vt aut à timen-

tibus ſemper in publico videretur, aut à non timẽtibus facilius contemneretur. nam licet Tyrannicis vitijs ſemper abundaret, tamen ſimulatio hæc vitiorum non naturæ erat: magisq. hæc arte, quàm amiſſo regali pudore faciebat, expertus quam inuiſa Tyrannorum forent iam ſine opibus nomina. laborabat itaque inuidiam præteritorum contemptu præſentium demere; neque honeſta, ſed tuta conſilia circumſpiciebat. Inter has tamen diſsimulationum artes ter inſimulatus eſt affectatę Tyrannidis; nec aliter, quàm dum contemnitur, liberatus eſt. Hęc Iuſtinus. Quid igitur infęlicius Rege iſto ſimulatore in delicijs, honoribus, & opibus enutrito? A B

Sic vixit iſte, cuius pater Dionyſius, & ipſe Syracuſarum Tyrannus aſsiduis, inquit idem Scriptor lib. 20. belli certaminibus victus, fractusq. ad poſtremum inſidijs ſuorum interficitur. Sed quodnam quæſo ſolatium poterat eſſe ijs Regibus, quos Seſoſtris abductos in ſeruitutem iugo ſubiecit, & currus ſuos trahere iubebat? Sic enim Lucanus.

Venit ad occaſum, mundiq. extrema Seſoſtris
Et Pharios currus Regum ceruicibus egit. C

Illud horrendum, quod accidiſſe Piſiſtrati filijs, narrat Iuſtinus, dum defuncto patre Tyrannorum more Athenis regnarẽt. Alter namque Diocles per vim ſtuprata Virgine à fratre puellæ interficitur. Alter Hippias nomine interfectorem fratris compræhendi iuſsit, qui cum per tormenta conſcios cœdis nominare cogeretur, omnes amicos Tyranni nominauit, quibus interfectis, quærenti Tyranno an adhuc reliqui conſcij forent, nemo, ait, ſupereſt, quem mori amplius cupiam, niſi ipſum Tyrannum; qua voce illius ſe victorem poſt pœnas è ſtupro ſorori illato ſumptas, declarauit. hac autem virtute admonita ciuitas libertatis, ſumptis armis Hippiam regno in exilium protinus expulit: in quo ille, quamdiu vixit, ſemper fuit. hac vero tota in re, hoc miſerabile, quod amici omnes Principis aſtu homicidæ illius fuere interempti. D

Nunc ad alios accedamus, propoſitumq. argumentum clarioribus exemplis aperiamus, pleroſq; iſtorum, qui non genuina virtute, ſed fucata innituntur, niſi occidantur, in exiliũ pelli. Ariſtoteles Politicorum lib. 5. cap. 12. enumerat inſigniores Tyrannorũ ſucceſsiones, quæ fuerint, ac docet nullam, niſi vnam

A perueniſſe ad annum centeſimum, finitas omnes expulſione li-
berorum primi Tyranni. quid hoc mirabilius?

Nos igitur alias, quæ poſt Ariſtotelem fuerunt, illuſtriores in
medium proferamus. Seleucus, & Antiochus Hierax fratres è
Seleucidarum progenie ſimulatis diu virtutibus inter ſe prœ-
liati ſunt, vt alter alterum regno pelleret. finis hic fuit. Seleu-
cus equo præcipatus interijt, Antiochus Hierax eiectus in po-
teſtatem Ptolomæi venit, habitus in cuſtodia meretricis opera
effugit, atque à latronibus eſt interfectus, quæ Iuſtinus refert.
lib. 27. Antiochus Cizicenus Gryphi frater, atque Antiochi Se-
B detis è Cleopatra filius de regno ſemper cum fratre certauit.
Hinc inde varij doli texebantur. Vtrinque virtutis erat adſi-
mulatus prætextus. bis regno detruſus Cizicenus, bis Gry-
phus: vterque miſerabiliter obijt in exilio, quod in Syriaco tra
dit Appianus. Antiochus Ciziceni filius bis regnum recepit,
bis amiſit, exul vita migrauit. à Tigrane regnis exutus, à Lucul
lo reſtituitur. mox à Pompeio ſpoliatur. teſtis eſt Iuſtinus lib. 40.
Philippus ſimiliter vltimus Seleucidarum à Gabinio regnis eſt
omnibus tandem priuatus.

Mithridates Artabani Primi filius Parthorum Rex è prole
C Arſacidarum dum crudelius ſe gerens ſpecie iuſtitiæ vult im-
perium tenere à ſuis eſt Parthis eiectus, cumque non poſſet exi
lij miſerias ferre, dolo Horodis fratris, qui regna inuaſerat, al-
lectus in oculis ipſius diriſsime eſt interfectus. Horodis autem
filius Phrahartes aconiti miniſterio patrem ſuſtulit, triginta
fratres occidit, adultumq. filiũ, regnum diu potitus in exilium
miſſus eſt euectus ad imperiũ Tyridates, mox & ipſe extruſus
à Phraharte in exilio perpetuo fuit apud Romanos, ad quos
imperante Octauiano cõfugerat. Phrahartes, vt ſecurus dege-
ret, quatuor filios, ac totidẽ nepotes, quò longiſsime à patria,
D ſuiſq. eſſent, miſit obſides Romam Saraſpaſdem, Ceroſpadem,
Phrahartẽ, Vononem. Domi remanſit vnus Phrahartes è Ther
miſſa muliere Romana, & concubina nothus, qui patre interfe-
cto matrem ſibi adiungens vxorem regnũ cœpit, ſed ob ingen-
tia ſcelera, quæ obtegere qualitercumque inanibus vmbris vir-
tutum conabatur, in exilium pulſus obiit. Hæc Ioſephus lib. 18.
cap. 4. & ſequentibus, Strabo lib. 16. Sed numquid hic finis? Ho-
rodes Praharti in exilium pulſo ſuffectus, ac mox occiſus. Miſ-
ſuſq. eſt ad Parthos, vt ijs dominaretur, Vonones prius obſes
aduerſus Artabanũ, qui ſucceſſerat Horodi. Vanones non mul-

to poſt expulſus,exulq́. in Armenia deceſsit. Artabanus regnū recipiens bis illo exutus;deniq; vnà cum filiis,& coniuge à Gotarze fratre eſt interfectus. In quem ſuffragantibus Parthis Rex conſtitutus Mehardates filius Vononis, bellaq́. cômouens eſt captus,auribus, & naribus ad ignominiam perpetuam præciſis, ita miſerabiliter viuere priuatus eſt permiſſus. Ad ſummam Reges Parthi,qui ſimulatione iuſtitiæ ad regna vel adipiſcenda, vel tuenda prætenſæ, dominari volebant vel interfecti, vel in exilium pulſi omnes fuere. A

Inter Perſicos Cabades, ſic nominat Cedrenus, ſiue Valens ſic Agathias,& Procopius,vt intemperantiam, & obſcœnitatē ſuam turpitudine aliorum ſibi aſſocianda qualitercumq́. obduceret,legem tulit,vt cuiuis liceret accedere ad alienas vxores, quamobrem regno detruſus, & in carcerem coniectus eſt: quāuis inde elapſus poſtea regnum meliorem ſui ſpem faciens receperit. Non ita nepos eius Hormiſdas, qui captus à proceribus Perſis,excęcatus,in carcerem miſſus,poſtea fuſtibus contuſus eſt,atque occiſus. B

Sed longinqua iſta,ac remota quæſo omittamus. Ad noſtra, ac propiora veniamus: In quibus memoria repetendis fieri nō poteſt,vt omittamus,quę contigere Richardo Secundo Anglię Regi. is enim,dum viuens multis ſe flagitijs inuoluiſſet, quāuis ea conaretur falſis imaginibus virtutum tegere, ad extremum tamen regnis exutus in miſeria deceſsit. Idem contigit Henrico ſexto ijſdem ſimulationum vijs inſiſtenti. C

Quid verò dicemus de Henrico Tertio Imperatore, ac Germaniæ Rege eius nominis quarto? An non ille vulpis in morem verſipellis cuncta miſcuit,cuncta perturbauit,& confudit,vt vitia pro virtutibus venditaret,ac tandem ſpoliatus imperio infęlicisſimè è vita migrauit? Deſcribunt illius euenta Lambertus Schafnaburgenſis,Marianus Scotus,Dodechinus,ac poſtremò Sigonius. D

Non omittamus Chriſtiernum Daniæ Regem, qui regnis expulſus ob nimiam crudelitatem, quàm iuſtitiæ prætextu velabat,dum falſo ſe imperiū putat recepturum, captus, caueaq́. ferrea incluſus in ſummis calamitatibus deceſsit?

Sed iſta omnia mittantur,veniat in medium,qui proponitur à Macchiauello in adumbrandis virtutibus veluti exemplum maximè illuſtre, & imitandum Cæſar Borgia Valentinus, is qui Alexandrum Sextum patrem nolens incredibili ſuo malo

pere-

A peremit eo veneno, quod iuſſerat admiſceri vino parato ad interficiendos plurimos è conuiuijs inuitatos hac de cauſa, vt eorum morte ſuperſtes ipſe ditaretur, atque ita ſuis infœliciter conſilijs irretitus ruinam quam machinatus alijs fuerat, miſerrimè fecit. Hic igitur cum malis artibus omnia texeret, inani ſpecie virtutum deluſus, atque omnes exiſtimans ſe deluſurum, & ad maxima imperia peruenturũ ſomniaretur, fratrẽ curauit occidi, atque in Tyberim deijci, plurimos Principes Italicos aſtu, falſisq. & quidem iuratis promiſsionibus allectos compræhendit, occidit, antiquis ditionibus expoliauit, ad ſe
B tranſtulit omnes; ita vt latè multis in locis Italię dominaretur, potentiamq. ſibi maximam comparauerit. Verum patre Pontifice ob permutatam, contra id quod molitus fuerat; veneni potionem defuncto, coactus eſt in Pontificis illius creationem conſentire, aduerſus quem nihil non hoſtile fuerat antea meditatus. Demum coniectus in carcerem, dimiſſusq. aut potius elapſus cum confugiſſet ad Hiſpanos ſuos Neapolim, à quibus magna ſibi pollicebatur, ab illis demum captus, & in Hiſpaniam tranſmiſſus, in arce Medinæ campi incluſus, in perpetuamq. cuſtodiam traditus bonis omnibus exutus ærumnosè
C deceſsit.

Quid autem contigit Ludouico Sfortiæ, qui cognomento Morus eſt vocatus? Hic igitur cura ſuſcepta Ioannis Galeatij ex fratre nepotis imperium Mediolanenſe adminiſtrauit: à quo cum nollet recedere, illiuſq. adminiſtrationẽ reſtituere nepoti iam confirmatæ ætatis viro, quãuis efflagitãte id affinitatis Iure illius auunculo Neapolitanorũ Rege, euocauit in Italiã Carolum VIII. Francorum Regem, qui cum maximas copias ducens in ditione Mediolanenſi iam conſiſteret, veneno ille vitam nepoti abſtulit, contemptaq. eius poſteritate, ad quam ex hęre
D reditate pertinebat Ducatus Mediolanenſis, ad illum ſe ſe deligi, quamuis videri vellet ſecus eſſe, curauit, eumq. repugnanter accepit, ac quamdiu vixit dolo cuncta tractans omniũ prudentiſsimus haberi volebat. quis verò exitus huiuſmodi ſapientiæ? captus à Gallis Ludouicus Sfortia, in Galliasq. abductus, turri Loccenſi incluſus annos decem traduxit in miſeria ſumma, is qui Italicarum rerum, totiusq. Europæ moderator, & arbiter habebatur, qui bello, quo populus Florentinus Sixti Quarti Pontificis, ac Ferdinandi Regis Neapolitani armis premebatur, finem poſuit; Ferdinandum grandi aduerſus Tur-

cas,

cas, nonnulla Apuliæ loca occupantes pecunia iuuit, Robertum Sanſeuerinum res Mediolanenſes adminiſtrantem gradu depulit: Parmenſis agri principes, qui cum Venetis ſentiebant, cum per alios debilitaſſet, poſtea præſens ipſe debellauit: Ferrariã contra Venetos defendit: illatum Mediolanenſi agro à Venetis bellum in ipſorum viſcera per ſuos duces tranſtulit, & accipere conditiones pacis quodammodo coëgit: Ferdinandum principum ſuorum defectione fatigatum in regnum reſtituit: Romanæ Eccleſiæ opem tulit, vt Bocalino Tyranno Auximum eriperetur. Genuã, quæ defecerat, ad imperium agnoſcendum compulit; Carolo Sabaudienſium Duci, vt principatus ſui proceres ad officium reduceret auxilio fuit; Ludouico Salutiarum Marchioni, & principibus aliis per inuidiam pulſis, vt reſtituerentur, affuit. Sæpius aduerſus Francos varia fortuna pugnauit; Princeps, inquit Italicus quidam ſcriptor, excellentiſsima eloquentia, ingenio, multiſq. naturę, & animi ornamentis, ſed tamen ambitioſus, & inquietus ſupra modum, fidei datæ, promiſſorumq. contemptor, adeo ſibi arrogans, ac prudentiæ ſuæ, vt ęgerrimè ferret alios ob prudentiã celebrari, ſibi certiſsimo perſuadens induſtria, & artibus ſuis quocumque libuiſſet, alios à ſe poſſe circumduci. Sed tantæ ſapientiæ legibus diuinis inimicæ, talis, quem deſcripſimus, & qui cõſequitur impios omnes, ac doloſos, exitus fuit.

A

B

C

Reges ſimulatæ virtutis in maximo ſemper metu, & acerbiſsimis curis vixerunt, contra boni in maxima ſecuritate, & incredibili quiete. Cap. V.

FOrſan autem dicet aliquis, quamdiu vixere Reges iſti ſimulatæ Virtutis, licet eis regnũ breue cum vita fuerit, & aliqui ipſorum fuerint imperio ſpoliati, & calamitatibus obruti vixerint, quamdiu tamen dominati ſunt, in deliciis, ac voluptatibus fuere, animi ſumma tranquillitate, & iucunditate ſunt potiti. Nihil re vera minus. Nam cum vitioſis cogitatis, ac deliberationibus ad omnia moueantur, quamuis inducant ſpecioſum Virtutis tectorium, vulnus tamen incluſum latet in abditis animi penetralibus, cuius cum virus peſtilens erũpere foras haud poſ-

D

A poſsit, ac diſsipari, dilatatur intime, exeditque & corrodit ipſam mentem, quæ ſedes eſt totius noſtræ quietis, ac ſuauitatis, quamcumque deguſtare poſsimus; ac veluti ciuilia bella, & domeſtica ſunt omnium longè acerbiſsima, ac luctuoſiſsima, ſic huiuſmodi ſimulatori perpetuum cum ſemetipſo eſt bellum, cum facta verbis, verba factis, & veritas vtriſque non reſpondeant, aut conſentiant, quin pugnent inter ſe, ac maximè digladientur, conſcientiaque ſit miſero perpetua carnificina, & quamuis illius obſtrepentis aſsiduas incuſationes, ac fremitus obruere falſis perſuaſionibus conetur, incluſoſque clamores B obmurmurantis maiori externarum rerum vociferatione, ac ſtrepitu ſepelire non ceſſat; ipſa tamen eos emittere, obtundere infelicis animum, quietemque omnem & cuiuſlibet voluptatis ſenſum prorſus adimere.

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Ceruice pendet, non Siculæ dapis
Dulcem elaborarint ſaporem
Non auium, cytharæque cantus
Somnum reducent.

C Dionyſio namque Syracuſarum tyranno omnium mortaliũ vaferrimo, & calidiſsimo ſimulatori cum quidam ex eius aſſentatoribus Damocles commemoraret in ſermone copias eius, opes, maieſtatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificẽtiam ædium regiarum, negaretque vmquam beatiorem quemquam fuiſſe; viſne igitur, inquit; ò Damocle quoniam hæc te vita delectat, ipſe eamdem deguſtare, & fortunam experiri meã? cum ſe ille cupere dixiſſet; collocari iuſsit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo textili ſtragulo, magnificis operibus picto, abacoſque complures ornauit argento, auroque cælato; D tum ad menſam eximia forma pueros delectos iuſsit conſiſtere, eoſque ad nutum illius intuentis diligenter miniſtrare. aderant vnguenta, coronæ, incendebantur odores, menſæ conquiſitiſsimis epulis extruebantur. fortunatus ſibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium, è lacunari ſæta equina appenſum demitti iuſsit, vt impenderet illius beati ceruicibus. Itaque nec pulchros illos miniſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mẽſam, iam ipſæ defluebant coronæ. denique exorauit Tyrãnum, vt abire liceret, quod iam beatus nollet eſſe. Hæc Cicero, Tu-

ſcu-

ſculan. V. vt appareat, nullam reuera ſolidam voluptatem contingere illis, qui ſectantur vmbram Virtutis, non ſolida ipſius officia. A

Ac rectè Plutarchus, cantharidem ferunt, ait ille, in ſe habere, quoddam damni, quod inuexit, remedium diuerſo modo afficientibus præditum facultatibus: ſic malitia ſimul ſecum gignens id quod animum mordet, atque vexat, non ſubſequentem, ſed in ipſo malefacto præſentem pœnam habet. & quemad modum malefici cum ad ſupplicium educuntur, quiſque ſuam effert crucem, ſic vitioſitas ad ſingula peccata ex ſe ſe fabricatur ſingula tormenta; ſolertiſsima opifex vitæ miſerabilis, & in qua præter turpitudinem terrores multi, animique motus graues, pœnitentia, continuique tumultus inſint. Verùm multi reperiuntur homines, nihil à pueris differentes, ſæpenumero dũ maleficos in theatris ſpectant circundatos vel auro contexta, vel purpurea læna coronatos ſaltare, ſtupẽtibus, ac veluti beatos admirantibus, donec eos compungi, flagellis cædi, ſupplicioque addictos, ac precioſis veſtibus nudatos igne concremari cernant. Nam quid impedit dicere, neque eos, qui ad mortem in carcere incluſi tenentur, puniri, antequam ceruices pręcidantur? neque eum, qui cicutam biberit, iamque obambulet & exſpectet, dum cruribus ingruat grauitas, priuſquàm exſtinctio caloris, & concretio eum ſenſu ſpolient, ſi extremum dumtaxat momentum pro ſupplicio reputamus, animi autem interuenientes tumultus, terrores, metus, pœnas; quibus vnuſquiſque malus commiſſa culpa deuincitur, omittimus? quod perinde eſt, ac ſi piſcem qui hamum vorauit, negemus captum, antequam à coquis aſſatum, aut in fruſta conciſum videamus. Nam ſimulatque aliquis improbè egit, obſtrictus iam pœna tenetur, & ſuauitate flagitij veluti eſca protinus deuorata conſcientiam intus pungentem, plectentemq. ſentiens, vt inquit ille. B C D

Agitur, vt thynnus agitatur fluctibus.

Etenim proteruitas illa, & ferocia prauitatis vſque ad perpetrandum facinus vim ſuam perfert, ac producit: deinde motu animi tamquam vento ſenſim deficiente, imbecilla, & humilis reddita terroribus ſe, & ſuperſtitionibus ſummittit, vt ad rerum ipſarum euentum, & veritatem Steſichorus ſomnium Clytemneſtræ videatur effinxiſſe in hanc ſententiam.

Viſus

A *Viſus adeſſe draco tabo caput oblitus atro.*
Ex illo ſe Rex promere Pleiſtherides.

Quippe ſomnia, ſpectra diurna, & quæcumque terribilia ſenſus feriunt aliquo modo, ſiue cælitus demiſſa, ſiue ex aëre, terra, aquaue proueniunt, & ſe ſe nobis obijciant, concutiunt, & exagitant male ſibi conſcios. Hac ratione narrant Apollodorum aliquando in ſomnis vidiſſe cutim ſibi à Scythis detrahi, deinde elixari ſe, & cor ex ipſo lebete ſibi tacitè dicere. Ego tibi horum ſum cauſa. rurſusq. filias ignitas, & ardentes in orbem circa ipſum currere; Hipparchum Piſiſtrati filium paulo ante mortem reſpergi ſanguine, quem Venus ipſi in faciē conijciebat; Ptolomæum Ceraunum per quietem viderunt à Seleuco in ius vocari, vulturibus, ac lupis diſceptationi præfectis, ipſumq. multas carnes diſtribuere inter hoſtes. Pauſanias Cleonicam virginem liberam Bizantij per libidinem ad ſe vocauit, vt ea per noctem potiretur; deinde accedentem perturbatione quadam, & ſiniſtra ſuſpicione concitus interfecit. hanc autem ſæpe dormiens videbat ſibi dicere.

B

C *Perge ad ſupplicium: valde eſt damnoſa libido.*

Quod viſum cum non deſineret, Heracleam nauigauit ad pſychopompeiū, qui locus eſt curandis animabus deſtinatus, puellæq. animam deprecationibus, & inferiis certis euocauit: illa verò in conſpectum veniens, finem malorum fore prædixit, vbi Spartam veniſſet. reuerſus ille Lacedæmonem ſtatim periit. Hucuſq; Plutarchus, è cuius narrationibus certò cognoſcimus flagitioſorum mentes diuinitus immiſsis terroribus agitari, & concuti, vt nulla ſit illis tranquillitas, nulla liquida, ac verè ſuauis voluptas, variiſq. eos ſpectris, imaginibus, & curis confici, D ac diuexari, cæleſti id prouidentia, iuſtitiaq. procurante.

Hinc etiam legimus Caſsio Parmenſi, qui partes M. Antonij ſecutus fuerat, & Athenas confugerat, ex quo ille ad Actium victus eſt, aſtitiſſe in ſomnis hominem magnitudine ingenti, colore nigro, barba ſquallida, & capillo promiſſo. interrogatusque, quiſnam foret, reſpondiſſe malum Dæmona. quo viſu ille perterritus, & experrectus ſeruos aduocauit, ac percunctatus numquis cubiculum fuiſſet ingreſſus, affirmantibus cunctis neminem viſum, ſomno ſe dedit. ac rurſus eadem dormienti ſpecies tetra ſe obiecit. fugata igitur quiete lumen adferri iuſsit,

E ac ſer-

ac ſeruos à ſe diſcedere vetuit. ac poſt paucos dies iuſſu Octa- A
uiani caput eſt illi obtruncatum. Hæc Valerius lib. 1. cap. 7. refert.

Brutus, quod narrat in eius vita Plutarchus, cum diſceſſurus eſſet ex Aſia, exercitumq. traijcere vellet, nocte profunda, ac ferè media, cum bellicis curis diſtineretur, & in huiuſmodi cogitationibus eſſet defixus, ad ſe conſpexit imaginem monſtroſam accedere, ſilentioq. horrenti ingreſſam cubiculum ſibi adſiſtere. Terribili viſu perculſus interrogare eam tamen eſt auſus, quis, inquit, hominum, aut Deorum es? quid tibi vis? quì ad nos veniſti? ad quæ obſtrepens illa dixit, tuus, ò Brute, malus ge- B
nius ſum, Philippis me videbis. Hæc ſanè omnia, quæ attulimus, palam faciunt impijs nullam dari pacem, nullam menti eorum tranquillitatem, vel, cum dormiunt, variis, ac timorum plenis viſibus diuexari.

Iam verò, vt differit apud Dionem cum Liuia Cæſar Auguſtus de ſemetipſo loquens, & quantis anxietatum fluctibus ipſius mens ſemper æſtuaret oſtendens, cum dies, & noctes adeo premeretur, vt ſomnum capere non poſſet, & cur haud dormiret, interrogaretur ab vxore, Ecquis poſſet, inquit, mea cóiux, eſſe animo vacuo, cui tot perpetuò ſunt inimici? an non vides, C
quot homines mihi, & principatui parent inſidias? quos non modo non deterrent damnatorum ſupplicia, ſed contra, tamquam ſpe alicuius boni propoſita, cæteri ad immaturam mortem contendunt. Sic Octauianus, cui nihil aliud illa reſpondit, niſi virtutibus imperia tenenda, non crudelitate inanem clementiam falsò oſtentante, quod cum feciſſet ille poſt annos imperij viginti pacatius vixit, ac fœlicius, vt idem teſtatur.

Tiberius huius ſucceſſor quantis opprimeretur curarũ tempeſtatibus multis in locis narrat Suetonius, quam verò, ait ille cap. 63. inter hæc non modo inuiſus, ac deteſtabilis, ſed prætre- D
pidus quoque, atque etiam contumeliis obnoxius vixerit multa indicia ſunt. & 65. verùm & oppreſſa coniuratione Seiani nihilo ſecurior, aut conſtantior per nouem proximos menſes nõ egreſſus eſt villa, quæ vocatur Iouis, & 66. vrebant inſuper anxiam mentem varia vndique conuicia, nullo non damnatorum omne probri genus coram, vel per libellos in orcheſtra poſitos ingerente, poſtremò ſemet ipſe pertæſus talis epiſtolæ principio tantum non ſumma malorũ ſuorum profeſſus eſt, quid ſcribam vobis. P. C? aut quomodo ſcribam? aut quid omnino non

ſcribam

A ſcribam hoc tempore? Dij me, Deæq. pœnis perdant, quem quotidie perire ſentio, ſi ſcio. & 69. tonitrua præter modum expaueſcebat, & turbatiore cælo numquam nó coronam lauream ceruice geſtauit.

Quid verò C. Caligula Tiberio ſubſtitutus? an quietius imperabit? qui Deos, ait Suetonius cap. 51. tantopere contemneret ad nimia tonitrua, & fulgura conniuere, caput obuoluere, ad maiora verò proripere ſe è ſtrato, ſub lectumq. condere ſolebat, peregrinatione quidem Sicilienſi irriſis multorum locorum miraculis repente à Meſſana noctu profugit, Ætnei verti-
B cis fumo, ac murmure pauefactus.

Sed credo trãquilliori fuit animo, qui poſt hunc prefuit Claudius, ſed nihil æquè, inquit Tranquillus cap. 35. quam timidus, ac diffidens fuit. primis imperij diebus, quamquã (vt diximus) iactator ciuilitatis, neque conuiuia inire auſus eſt, niſi vt ſpiculatores cum lanceis circumſtarent, militeſq. vice miniſtrorum fungerentur: neque ægrum quemquam viſitauit, niſi explorato prius cubiculo, culcitriſque, & ſtragulis prætentatis, & excuſſis: reliquo autem tempore ſalutatoribus ſcrutatores ſemper appoſuit, & quidem omnibus, & acerbiſsimos. ſero enim, ac vix
C remiſit, ne fœminæ, prætextatiue pueri, & puellæ contrectarentur; & ne cuiuis comiti, aut librario calamariæ, aut graphiariæ thecæ adimerentur. & cap. ſequenti. quaſdam inſidias, ait, temerè delatas adeo expauit, vt deponere imperium tentauerit. quodam (vt ſupra retuli) cum ferro ſe ſacrificantem depræhenſo ſenatum per præcones propere conuocauit; lachrymiſque, & vociferatione miſeratus eſt conditionem ſuam, cui nihil tuti vſquam eſſet: ac diu publico abſtinuit. Meſſalinæ quoque amorem flagrantiſsimum non tam indignitate contumeliarum, quam periculi metu abiecit, cum adultero Silio acquiri impe-
D rium credidiſſet. quo tempore fedum in modum trepidus ad caſtra confugit, nihil tota via, quàm eſſetne ſibi ſaluum imperium requirens.

Nunc videamus, qua fuerit animi tranquillitate Nero, qui imperium Claudij defuncti excepit. ſceleris conſcientiam matre occiſa, ſcribit Suetonius cap. 34. quamquã & militum, & Senatus, populiq. Romani gratulationibus confirmaretur, aut vmquam poſtea ferre nó potuit, ſæpe confeſſus exagitari ſe materna ſpecie, verberibus furiarum, ac tædis ardentibus. quin & facto per magos ſacro euocare manes, & exorare tentauit. pe-

regrinatione Græciæ Eleuſinis ſacris, quorum initiatione impij,& ſcelerati voce prçconis ſummouentur,intereſſe non auſus eſt.& cap. 46. terrebatur ad hæc portentis ſomniorum,& auſpiciorum,& hominum tum veteribus, tum nouis, numquam antea ſomniare ſolitus. occiſa demum matre vidit per quietem nauem ſibi regenti extortũ gubernaculum, trahiq. ſe ab Octauia vxore in arctiſsimas tenebras,& modo pennatarum formicarum multitudine oppleri,modo à ſimulachris gentiũ ad Pompei theatrum dedicatarum circuiri,arceriq. progreſſu. Tales igitur Imperatores Romani rerum Domini. A

An verò magis à curarũ diuexatione vacui reperientur Italici,qui ſunt iſtos ſecuti? De Galba ſic idem ſcriptor cap. 11. maximè conſternatus,deſtitutoq. ſimilis non multum abfuit, quin vitæ renunciaret. & 18. Vrbem quoque,& deinde palatium ingreſſum excepit terra tremore, & aſsimilis quidã mugitui ſonus. ſecuta ſunt aliquanto maiora, & triſtiora. monile margaritis,& gemmis contextum ad ornandã fortunam ſuam Tuſculanam ex omni gaza ſecreuerat. Id repente quaſi auguſtiore dignius loco Capitolinæ Veneri dedicauit, ac proxima nocte ſomniauit ſpeciem Fortunæ quærentis fraudatam ſe dono deſtinato,minantiſq. erupturam, & ipſam,quæ dediſſet. cumque exterritus luce prima ad expiandum ſomnium præmiſsis, qui rem diuinam appararent Tuſculum excurriſſet, nihil inuenit præter tepidam in ara fauillam. B C

De Othone autem ſic cap. 9. tribus quidem prælijs,verũ mediocribus apud Alpes,circaq. Placentiam, & ad Caſtoris,quod loco nomen eſt, vicit; nouiſsimo, maximoq. apud Brebiacum fraude ſuperatus,cum ſpe colloquij facta quaſi ad conditionem pacis militibus eductis ex improuiſo, & in ipſa conſalutatione dimicandum fuiſſet,ac ſtatim moriendi impetum cępit. & cap. 10. ait ipſum manipularis militis exemplo concitatum ad deſpiciendam vitam, & mox pugione infra læuam papillam adacto ſemetipſum peremiſſe. D

At de Vitellio cap. decimo quinto pro gradibus palatii apud frequentes milites cedere ſe imperio, quod inuitus recepiſſet, profeſſus cunctis reclamantibus rem diſtulit: ac nocte interpoſita primo diluculo ſordidatus deſcẽdit ad roſtra; multiſque cum lachrymis eadem verba, verum è libello, teſtatus eſt.

En igitur, vt flagitioſi Principes nullis non animi perturbatio-

A tionibus,curarumq. fluctibus viuentes exagitentur,ita vt,quęcumque iucunda extrinſecus ad eos veniunt,in animum cadãt acerbitatum, triſtitiæq. pleniſsimum, quo fit vt omnem ſuauitatis ſaporem relinquãt, & è dulcibus amariſsima miſeris iſtis euadant. ſucceſſere ſuperioribus Veſpaſianus,atque hoc defuncto Titus animo magis compoſito , & ad virtutum veritatẽ inſtituto,ac proinde non adeo mœroribus obnoxio.

Non ita Domitianus,de quo ſic ille Scriptor cap.14.pauidus ſemper,atq; anxius minimis etiam ſuſpicionibus pręter modũ commouebatur. & 16.circa mediam noctem ita eſt exterritus, B vt è ſtrato proſiliret. Huic ſubſtituti Nerua,ac Traianus bonis principibus adnumerati ; quibus nihil ſimile narratur accidiſſe,quod ſuperioribus.

At Adrianum legimus furiis exagitatũ,quocirca Oreſti hac de cauſa parentaſſe, ita monitus oraculis quibuſdam ſuis tradunt, Oreſtiademq. Adrianopolim vocaſſe. extremis quidem vitæ diebus,doloribus,& cruciatibus adeo cõfectus eſt,vt,quod ſupra retulimus,mori ſæpius optarit, mortemq. ſibi conſciſceſcere ſit conatus. Ei defuncto ſuffecti Antoninus Pius,& Antoninus Philoſophus à Scriptoribus mirificè ob probitatem com C mendantur,ac nihil ſimile ei, de quo nunc agimus, perpeſsi leguntur.

Commodus verò in tanto pauore ſemper imperauit, vt Herodiano teſte, omnes hoſtium loco haberet, raro in publicum prodiret,plerumque in ſuburbanis degeret procul ab omni habitatione, abſtineret ab omni iuriſdictione, Imperatorioque actu.

Antoninus autem Caracalla,inquit Herodianus,ſtimulante malorum facinorum conſcientia,vitamq. prorſus vrbanam,Roma diſceſsit, metuq. ſemper inſidiarum nullis non oraculis in-D cubabat,accitis vndique magis,aſtrologis, aruſpicibus, ac nullo penè præterito,qui fallacias huiuſmodi profiteretur.

Denique,ne ſimus in re clara longiores, ex his, quæ adduximus, & quæ cõtigere Imperatoribus recitatis cognoſcere poſſumus euidenter, quinam fuerint hiſce in rebus alij, qui fucum virtutis vendere conati ſunt, non ipſam reuera poſsidere. neceſſe eſt enim dicamus huiuſmodi homines in perpetuis ſollicitudinibus fuiſſe,continentibus ærumnis addictos, diris curarum, perturbationumque aculeis compunctos, animis ſemper exulceratis ſauciatos. Contra autem qui ſolidam bonitatem

ſunt

ſunt amplexati fructus quietis, ac ſecuritatis iucundiſsimos A
noctes,ac dies mirabiliter deguſtaſſe. Quocirca nihil tale legimus de Tito,Nerua,Traiano,Antonino Philoſopho, Antonino Pio, atque huiuſmodi Imperatoribus, qui germanas ex animo virtutes adipſci contendebant? An non ita?

Audi,quòd de Tito referat Suetonius cap.9.duos patritij generis conuictos in affectatione imperij nihil amplius,quam vt deſiſterent,monuit,dicens principatum fato dari: ſiquid præterea deſiderarent,promittens ſe tributurum, & cõfeſtim quidem ad alterius matrem, quæ procul aberat, curſores ſuos miſit,qui anxiæ filium ſaluum nuntiarent: cæterum ipſos non ſolum familiari cœnæ adhibuit, ſed & inſequenti die gladiatorũ B
ſpectaculo circa ſe ex induſtria collocatis, oblata ſibi ornamenta pugnantium inſpicienda porrexit. & mox.fratrem inſidiari ſibi non deſinentem,ſed pene ex profeſſo ſollicitantẽ exercitus, meditantem fugam, neque occidere, neque ſeponere, ac ne in minore quidem honore habere ſuſtinuit. Hæc ille diligentiſſimus, qui Titum violenta morte ablatum fuiſſe nuſquam meminit,quamuis alij velint aliquam fuiſſe ſuſpicionem.

Quid autem Nerua? Virginium Rufum,ſcribit Dion, qui ſæpe Imperator appellatus fuerat, non eſt grauatus collegam in C
conſulatu adſumere: in cuius mortui ſepulchro inſcriptũ fuit, eum ſuperato vindice,nequaquam ſibi imperium peperiſſe,ſed patriæ. Nerua quidem vſque adeo bonus Princeps fuit, vt aliquando dicere auſus ſit ſe nihil feciſſe, quò minus poſſet depoſito imperio priuatus tutò viuere.cum autẽ Calphurnius Craſſus illorum Craſſorũ nepos, atq; alij nonnulli contra eum coniuraſſent, eos, cum nondum reſciſſent patefactam coniurationem,in ſpectaculo iuxta ſe collocauit, ijsq́. gladios tradidit in manus,vt (ſicuti dicebant) an ſatis acuti eſſent,inſpicerent; reuera autem id fecit,vt eis oſtenderet ſibi nequaquam curæ eſſe D
ſi vel in eodẽ loco ſtatim necaretur.Caſperius quoque Ælianus quẽ (vt antea factũ erat à Domitiano) pretorianis prefecerat, milites in eum concitauit,vt nonnullos ex eis ad ſuppliciũ depoſceret,quibus nõ modo non reſtitit Nerua, verum etiam eis nudum iugulum præbuit,quamuis nihil egerit. Hucuſq; Dion, En quanta ſit ſecuritas, quanta tranquillitar bono viro, Principibus ſolidam iuſtitiam colentibus, non adumbratã. Quantum quæſo diſcrimen inter hos, & alios diuerſæ vitæ, qui vitia virtutum falſis inuolucris obtendunt?Pergamus autem,videamusq́ue

A musque Traiani, & Antoninorum ſtatum.

Traianus,ait idem Dion, nulli inuidebat, perdebatq. neminem: bonos omnes ornabat honoribus, & dignitatibus augebat. ex quo fiebat,vt neque timeret quemquam,neque haberet odio.nullam fidem habebat calumniatoribus,nulla ira tenebatur: abſtinebat ab aliena pecunia non minus, quàm ab iniquis cędibus. & poſt. amari à ciuibus cupiebat magis, quam honore affici. cum populo humaniter, cum Senatu honorificè verſabatur. carus ciuibus,hoſtibus formidoſus erat.venationibus,conuiuijs, ſerijſque, ac iocoſis rebus ciuium intererat. ſæpe quar-
B tus diſcumbebat; veniebatq. in ædes eorum interdum nulla munitus cuſtodia; ibique nonnumquam requieſcebat. & mox. nũquam contigit illi (quod euenire in huiuſmodi ſolet) vt milites feroces ſe,& inſolentes præberent; vſque adeo benè, & ratione imperabat. & rurſus, cum ſæpe apud Traianũ Sura Licinius ab inuidis, & inimicis accuſatus eſſet, Traianus nihilominus domum eius non vocatus acceſsit, dimiſſaq. cuſtodia medicũ Suræ primum omnium ad ſe vocauit,eiq. permiſit, vt ſuos oculos liniret,quo facto tonſorem eiuſdem venire iuſsit,iſque mentum Imperatoris raſit; nam hæc vetus conſuetudo ciuium Roma-
C norum', ac principum fuit.Adrianus enim primus barbam nutriuit. Poſt hæc Traianus cœnauit lotus, poſteroq. die amicis ſuis, qui Suræ detrahere ſemper, eumq. calumniari conſueuerant,reſpõdit,ſi me,inquit, Sura interficere voluiſſet, heri quidem certè interfeciſſet.itaque permagnum fuit,quod Traianus in homine accuſato inſidiarum periculum adire voluerit; ſed multo profectò maius, quod numquam timuerit, vt quidquam tale ab illo ſibi accideret. Huic etiam principio, cum perficeret eum prætorianis cohortibus, atque ipſum ob eam cauſam
D gladium accingere oporteret,Traianus nudũ porrexit,dixitq. accipe gladium,quem pro me,ſi bene,atque ratione imperauero,diſtringes; ſin minus eo ad interitum meum vtere. Hucuſque verba ſcriptoris. è quibus colligimus quanta ſit ad animi quietẽ vis probitatis genuinæ, & tamen Traianus non attigit oĩno veram virtutẽ,ſed propius ab illius finibus abeſſe eſt viſus.

Verùm,quæ fuerit pax Antonino Pio diſpiciamus,quem fuiſſe amicum Chriſtianis,mortemq. obijſſe iucundiſsimam, ſomnoque ſimilem tradunt. De illo ſic Capitolinus, imperatorium faſtigium ad ſummam ciuilitatem deduxit.vnde plus creuit recuſantibus aulicis miniſtris, qui illo nihil per internũtios agente,

te,nec terrere poterant homines aliquando,ne ea,quæ occulta non erant,vendere. Senatui tantum detulit Imperator,quantũ cum priuatus eſſet,deferri ſibi ab alio Principe optauit.& mox. neque de prouincijs,neque de vllis actibus quidquam cõſtituit, niſi quod prius ad amicos retulit. atque ex eorũ ſententia formas compoſuit. viſus eſt ſanè ab amicis, & cum priuatis veſtibus, & domeſtica quædam gerens. tanta ſanè diligentia ſubiectos ſibi populos rexit, vt omnia, & omnes,quaſi ſua eſſent, curaret. & iterum. piſcando ſe, & venando multum oblectauit, & deambulatione cum amicis, atque ſermone. vindemiaſq. priuati modo cum amicis agebat. &. conuiuia cum amicis, & priuata communicauit,& publica. deinde. cum ſibi,& filiis honores peteret, omnia quaſi priuatus egit. frequentauit & ipſe amicorum conuiuia. Inter alia etiam hoc ciuilitatis eius præcipuum argumentum eſt,quod cum domum Omuli viſeret,miranſq. columnas porphyreticas requiſiſſet vnde haberet; atq; Omulus ei dixiſſet,cum in domum alienam veneris & mutus,& ſurdus eſto,patienter tulit. &. ſeditiones vbicumque factas nõ crudelitate,ſed modeſtia,& grauitate compreſsit. Ac talis Antoninus Pius. A B

Num verò illi æqualis, aut maior Antoninus Philoſophus? De hoc enim ſic Capitolinus.cum populo egit non aliter,quam ſub ciuitate libera. fuitq. per omnia moderatiſsimus in hominibus deterrendis à malo, inuitandis ad bona, remunerandis copia,indulgentia liberandis: fecitq. ex malis bonos, ex bonis optimos. & mox. erat enim ipſe tantæ tranquillitatis,vt vultũ numquam mutauerit mœrore,vel gaudio. cum igitur in amore omnium imperaſſet,atque ab alijs modo frater,modo pater, modo filius, vt cuiuſque ætas ſinebat & diceretur, & amaretur octauo decimo anno imperij ſui, ſexageſimo & primo vitæ dię̃ vltimũ clauſit. & iterum. ſententia illius præcipua ſemper hæc fuit æquius eſt,vt ego tot,ac talium amicorum conſiliũ ſequar, quàm vt tot,& tales amici meam vnius voluntatem ſequantur. & erat mos iſte Antonino,vt omnia crimina minore ſupplicio, quàm legibus plecti ſolent,puniret. Dion autem ſic de eodem. Marcus nationes omnes,quæ deſciuerant, tractauit perhumaniter,neque quemquam ex obſcuris hominibus, aut ex illuſtribus interficit. &. ſcripſit ad Senatum,nequis eorum, qui opem Caſsio (hic bellum mouerat in ipſum) tuliſſent,morte afficeretur: tamquam in eo dolore, quem cœperat ex interitu Fauſti- C D

næ

A næ (hæc erat Marci coniux) hoc vno ſolatio vti poſſet. abſit enim, inquit, vt me tenẽte principatum veſtrùm quiſquã meo, veſtroue decreto capite damnetur. ad extremum addidit, quod ſi id à vobis non impetrabo, ad mortem ibo celeriter. vſq; adeo à cædibus alienus, mitis, & bonus, & pius erat. quinetiam in pleroſque interfectores beneficia contulit. Hæc iſti Scriptores de Antonino Philoſopho. At Gallicanus ita; cũ loquitur de Auidio Caſsio, qui bellum mouit aduerſus ipſum; Amor inquit, Antonini hoc maximè enituit, quod conſenſu omnium, præter Antiochenſes, Auidius interemptus eſt: quem quidem occidi non B iuſsit, ſed paſſus eſt, cum apud cunctos clarum eſſet, ſi poteſtatis ſuæ fuiſſet, parſurum illi fuiſſe. caput eius ad Antoninum cũ delatum eſſet, ille non exultauit, non elatus eſt: ſed etiam doluit ereptam ſibi eſſe occaſionem miſericordiæ, cum diceret ſe viuũ illum voluiſſe capere, vt illi exprobraret beneficia ſua, eumque ſeruaret. denique, cum quidam dicerent repræhendendũ Antoninum, quod tam mitis eſſet in hoſtem ſuum, eiuſq. liberos, & affines, atque omnes, quos conſcios tyrannidis reperiſſet, addente illo, qui repræhendebat, quid ſi ille viciſſet? dixiſſe dicitur, non ſic Deos coluimus, nec ſic viuimus, vt ille nos vinceret. C enumerauit deinde omnes principes, qui occiſi eſſent, habuiſſe cauſas, quibus mererentur occidi, nec quẽquam facile bonum, vel victum à Tyrannis, vel occiſum: dicens meruiſſe Neronem, debuiſſe Caligulam, Othonem, & Vitellium, nec imperare voluiſſe. nam de Pertinace, & Galba paria ſentiebat, cum diceret in Imperatore auaritiam eſſe acerbiſsimum malum. Denique non Auguſtum, non Traianum, non Adrianum, non patrem ſuũ à rebellibus potuiſſe ſuperari, cum & multi fuerint, & ipſis vel inuitis, vel inſcijs extincti. ipſe autem Antoninus à Senatu petiit, ne grauiter in conſcios defectionis animaduerteretur eo D ipſo tempore, quo rogauit, nequis Senator temporibus ſuis capitali ſupplicio afficeretur; quod illi maximum amorem conciliauit. & paulo poſt. filios Auidij Caſsij Antoninus Marcus parte media patrimonij donauit, ita vt filias eius auro, argento, & gemmis honeſtaret. Nam & Alexandriæ filiæ Caſsij, & genero Druentiano liberam euagandi vbi vellent poteſtatem dedit; vixeruntq. non quaſi tyranni pignora, ſed quaſi Senatorij ordinis in ſumma ſecuritate. cum illis etiam in lite obiici fortunam propriæ vetuiſſet domus, damnatis aliquibus ob iniuriam, quam in eos petulanter feciſſent. Denique cum Fauſtina

coniux ad eum ſic ſcripſiſſet; vide quid agas de Auidio Caſsio, A
& de eius conſciis. noli parcere hominibus,qui tibi non pepercerunt, & nec mihi, nec filijs meis pepercíſſent, ſi viciſſent. ſic ipſe ad eam reſcripſit. Tu quidẽ mea Fauſtina religioſe pro marito, & pro noſtris liberis agis. nam relegi epiſtolam tuam in Formiano,qua me hortaris,vt in Auidij conſcios vindicẽ. Ego verò & eius liberis parcam, & genero, & vxori, & ad Senatum ſcribã,ne aut proſcriptio grauior ſit,aut pœna crudelior. Non enim quidquam eſt, quod Imperatorem Romanum melius cõmendet gentibus, quàm clementia. Hæc Cæſarem Deum fecit,hæc Auguſtum conſecrauit,hæc patrem ſuum in primis Pij B
nomine ornauit. Denique ſi ex mea ſententia de bello iudicatum eſſet,nec Auidius eſſet occiſus. Eſto igitur ſecura, Dij me tuentur,Dijs pietas mea cordi eſt.& ad Senatum,nunc quod ad defectionem Caſsianam pertinet,vos oro, atque obteſtor. P.C. vt cenſura veſtra depoſita,meam pietatem, clementiamq. ſeruetis, imo veſtram. neque quemquam vllum Senatus occidat. nemo Senatorũ puniatur,nullius fundatur viri nobilis ſanguis, deportati redeant, proſcripti bona recipiant. vtinam poſſem multos etiam ab inferis excitare. non enim placet vnquam in Imperatore vindicta ſui doloris, quæ etſi iuſtior fuerit, acrior C
videtur. Quare filiis Auidij Caſsij & genero, & vxori veniam dabitis. & quid dico veniam? cum illi nihil fecerint. viuant in patrimonio parentum pro patre: auro,argento,veſtibus fruantur: ſint diuites, ſint ſecuri, ſint vagi,& liberi,& per ora omniũ vbique populorum circumferant meæ,circumferant veſtræ pietatis exemplum. Nec magna eſt hæc P. C. clementia veniam proſcriptorum liberis,& coniugibus dari. Ego verò à vobis peto,vt conſcios Senatorij ordinis, & equeſtris à cęde, à proſcriptione, à timore, ab infamia, ab inuidia, & poſtremo ab omni vendicetis iniuria: detisq. hoc meis temporibus. Hæc de Antonino Philoſopho Gallicanus. D

Mirabile ſit igitur Imperatores iſtos, cum ſolidam iuſtitiam quærerent,quamuis reuera non aſſequerentur,cuperẽt tamen, & qualitercunque ad illam capeſſendam contenderent, adeo ſecuros fuiſſe, adeo quietos, vt nihil ab inſidiis timerent, nihil ab inimicis, cum viderimus alios ipſis diſsimiles, qui inanem bonitatis ſpeciem venditarent,nuſquam fuiſſe tutos, licet omnibus ſe præſidiis munirent. Magna vis ſcilicet veræ virtutis, vt quamuis ea non potiaris (hoc enim ſolis eſt Chriſtianis da-

tum)

A tum) tamen ſi aſpires ad illam, ſi viis illius quoquo modo inſiſtas, in diuina tutela viuas, cæleſte patrocinium merearis. An plura ad propoſitum quærimus argumenta? ſi nobis adeſſent Scriptores adeo diligentes, qui literis mandaſſent Imperatorũ ſequentium vitas, & euenta, vt multorum geſta deſcripſit Suetonius, idem probare, & aliis modis poſſemus. Sed tamen haud grauemur hic adnotare illud. Octauianus Auguſtus per annos viginti in morem Tyranni imperauit, omnia cędibus repleuit, calliditate, & crudelitate dominatum retinere contendit. diritatem pro iuſtitia, fumum pro luce oſtentabat, ſed quo magis B adumbratis virtutum ſimulacris obtegere hæc conabatur, eò maioribus ærumnarum ſe fluctibus inuoluebat, neque vlla tranquillitatis parte inſidiis plurimorũ vndique petitus, & circunuentus fruebatur. Verum poſtea conſiliis Liuiæ coniugis adductus clementiam reuera amplexus, veraſque virtutes longè ſecus, quàm prius accidiſſe ſibi eſt expertus per annos viginti quatuor, quibus reliquum vitæ ſolus in imperio traduxit.

Sed audiamus quæſo illam diſputantem cum viro, qui ſomnum capere ob æſtus curarum nullo modo valebat. mihi quidẽ, dicebat illa, videtur, multo plura corrigi poſſe humanitate, & C beneuolentia, quàm vlla crudelitate. Etenim ij, qui veniam dant, non ſolũ cari ſunt ijs, quibus miſericordes ſe præbuerunt, ita vt illi ſtudeant his meritam gratiam, & debitam referre, ſed etiam apud cæteros omnes ſummo in honore ſunt, & coluntur ab omnibus, ita vt ijs iniuriam facere audeat nemo. contra autem homines irati, atque inexorabiles, non tantum odio ſunt ijs, à quibus timentur, ſed etiam ſunt reliquis omnibus permoleſti: ex quo fit, vt ijs plerique parent inſidias, ne prius ipſi pereant. An non vides medicos quàm rarò veniant ad vrendũ, D & ſecandum, ne morbos efficiant grauiores, atque vt eos mitibus medicamentis curent, atque molliant? & poſt multa. quæ cum ita ſe habeant, ait illa, plerique putant à nobis multos indemnatos, multos etiam confictis, falſiſq. ſententijs damnatos, contra ius, faſq. interfectos eſſe. non enim adhibita teſtimonia vt vera, non habitas quęſtiones, non ea, quæ ſunt eiuſdem generis contra eos admittũt, vel approbant: quæ etſi ab illis magna ex parte non iure, ſed falsò dicuntur de ijs, qui ſupplicio affecti ſunt, tamen vulgo circumferri ſolent. Atqui oportet, Auguſte, te non ſolũ nihil facere per iniuriam, ſed nec omnino facere videri. Nam priuatis quidẽ hominibus ſatis eſt nihil de-

linquere: principem verò decet ne ſuſpectũ quidem eſſe. hominibus enim imperas, non belluis, nec alio pacto verè potes eorum animos ad beneuolentiam allicere, atque id pariter omnibus perſuadere, quàm ſi nemini volens, inuituſve ſuppliciũ irrogaueris. etſi enim, vt metuat, cogi aliquis poteſt; tamen, vt amet, id ei perſuadere neceſse eſt. cum igitur videt in ſe, atque in alios beneficia conferri facile perſuadetur. cum verò putat quempiam nõ iure cęſum eſse, mox, ne idem ſibi eueniat, timet, cogitatq. eum, qui id fecerit, penitus odiſse. Nam plerique arbitrantur neceſse eſse reliquis hominibus, eos vlciſci, à quibus vel minimam iniuriam acceperint, ne contemni, aut ſuperari videantur. Principes oportere tantum in eos animaduertere, qui contra Remp. committunt: eos verò, qui in te peccant, toleranter ferre. Non enim eis iniuriam fieri; propterea quod contempti, atque abiecti ſint, ſiquidem ſunt magnis, multisq. præſidijs, & cuſtodijs muniti. quæ cum mihi perſpecta ſint, atq; cognita, omnino id tibi conſiliũ do, ne velis ob eam rem quemquam iſtorũ occidere. Nam principatus propter ſalutem ſubiectorum conſtituuntur, vt ij nullum damnũ capiant, non modo ab alienis, ſed neque à ſuæ gentis hominibus: non autem vt à ſuis principibus vexentur, atque affligantur. multòq. eſt profectò magnificentius, atque glorioſius multos ciues conſeruare, quàm occidere. Quamobrem ij ſunt inſtituendi, continendiq. legibus, beneficijs, admonitionibus, vt modeſti ſint, ac prudentes, tum verò vſq; adeo diligenter obſeruandi, & cuſtodiendi, vt ſi maximè iniuſti eſse cupiant, non poſsint. qui verò infirmi ſunt, atque imbecilles, ſanari debent quodammodo, & reſtitui, ne omnino corrumpantur. ferre autem multorum hominũ delicta, magnæ prudentiæ eſt, atque potentiæ. quod ſiquis omnibus ſceleribus iuſtas, & debitas pęnas conſtituat, is certè magnam partem hominũ breui temporis ſpatio cognoſcetur perdidiſse. & mox. Quas ob res hinc capiamus exordium, & periculum faciamus. eo pacto & homines fortaſse conſilium mutabunt, & cæteros efficient meliores. Primùm reſpice Corneliũ nobilem, & clarum virum: deinde tecum, vt decet omnem hominem, reputa gladium nõ eſse omnia tibi confecturũ. etenim magna eſset eius vtilitas, atq; commoditas, ſi is poſset prudentes homines facere, perſuadere, cogereque, vt vere aliquem diligant. At is profectò dum corpus duntaxat alicuius occidit, à nobis reliquorum animos alienat, nec ſunt homines amicio-

res

A res alicui propter aliorum ſupplicia: ſed cum timeant, infeſti, atque inimici fiunt. idq. certum, atque exploratum eſt. Si autẽ homines veniam conſecuti ſunt, pænitentia, atque pudore adducti non modo non audent ijs, à quibus beneficiũ acceperunt, iniuriam facere, ſed etiam plerumque beneficium remunerantur, quod ſperant ſe multò maiora accepturos. etenim, qui eſt ſaluus, & incolumis ſeruatus ab eo, cui ipſe iniuriam intulit, putat eundem accepto ab ſe beneficio, nihil eſſe omnino ſibi negaturum. Quamobrem mihi crede vir cariſsime, ſine te perſuaderi, & muta ſententiam. hoc enim pacto videberis omnia, B quæ grauia fuerunt, & moleſta, neceſsitate coactus, & inuitus feciſſe, propterea quod non poteſt reſp. vſque adeò magna, & potens in regnum mutari ſine ſanguine. ſi autem manebis in propoſito; ſuſceptoq. conſilio, videberis profectò illa libenter, ſtudioſèq. feciſſe. Hac oratione Liuiæ permotus Auguſtus reos omnes verbis admonitus dimiſit, deſignauitq. poſtea Corneliũ conſulem; atque in poſterum nõ eum ſolum, ſed etiam reliquos omnes tãto ſibi amore coniunxit, vt nemo amplius ei verè inſidias faceret, aut omnino facere videretur.

Hæc Liuia, & Dion; è quibus fit perſpectiſsimum, quanti ſit C vera virtus àd continendos in officio ſubiectos. quàm ſit malus diuturnitatis cuſtos fictio; cum peſsimè òderint cuncti eos, qui verbis aliud produnt, aliud mente incluſum geſtant. Nam rectè apud Homerum Achilles.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλησιν
Ὅσ χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δ' ἐ εἴπη.
Is mihi iuxta inuiſus, vt atri limina Ditis
Qui verbis aliud prodit, quàm dixerit ore.

Hæc verò adhuc illuſtriora fiunt, ſi conſideremus à Conſtan-D tino amotos Prætorianos milites, qui delecti erant Imperatoribus cuſtodiendis, & tamen poſt eum legimus Imperatorũ paucisſimos à ſuis occiſos, cum ſecus longe euenerit ante illũ, quod ſecundo capite eſt à nobis explicatum. Nam poſt illum Romano imperio in Occidente potiti ſunt Conſtans, Conſtantinus, Conſtantius, Iulianus, Iouinianus, Valentinianus I. Gratianus, Valentinianus II. Theodoſius, Honorius, Valentinianus III. Maximus, Auitus, Maiorianus, Seuerus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Iulius nepos, Momyllus. Ex his autem tres à ſuis militibus occiſi duntaxat Valẽtinianus III. Maiorianus, Anthemius,

intra

intra annos centũ ſexaginta quatuor,ſed ſex ab inimicis Conſtantius , Conſtantinus , Iulianus , Valentinianus II.Gratianus,Maximus.quas verò ob cauſas alibi explicauimus.Verùm nihil æquè id oſtendit,quàm contemplari ſucceſsiones Regum Catholicorum, qui plerùmque ſolidam pietatem, germanasq́. virtutes ex animo ſunt amplexati, vt ſupra retulimus cap.2. & latius aperuimus libro xx. de ſignis Eccleſiæ Dei cap. viij. ſigno lxxxix. de fęlici exitu Regum Catholicorum. ac ſuſpicere illud mirabile tam paucos è noſtris fuiſſe à ſuis interfectos, cum ſi inſpiciamus exitus aliarum ſucceſsionum Regiarum in quolibet principatu, palàm fiat longè plurimis eorum vitam ferro, aut veneno ereptam. Quippè noſtri minus abſcedunt à recta, veraque virtutum meta, nequè tot inſidias patiuntur, vt alij, quibus reuera officia bonitatis cordi eſſe non ita ſolent. Hinc fit, vt male conſcij ſemper in timore degant, perpetuis curis, & anxietatibus miſerrimè torqueantur, nihil habeant iucundi, nihil ſuauis. Verè namque vates de lupis iſtis nocturnis.

A

B

Cautus enim metuit foueam lupus, accipiterq́.
Suſpectos laqueos, adopertum miluius hamum. C

Sed millies, aiebat Orator ille, perire eſt melius, quàm in ſua ciuitate ſine armorum præſidio non poſſe viuere, cum plus in metuendo mali ſit plerumque, quàm in eo ipſo, quod timetur. atque vt Antiſthenes Philoſophus dicebat, quisquis alios metuit, ſeruus eſt; licet neſciat. ac rectè Seneca in Octauio.

Iuſtum eſſe facile eſt, cui vacat pectus metu
Magnum timoris remedium clementia eſt.

D

Simula-

A *Simulatæ virtutis Reges varijs ſunt ærumnarum ſemper euentibus afflictati, ita vt neque animo dulce quidquam percipere ob metum, de quo ſuperiori capite diximus, neque extrinſecus adueniens aliquid ſuaue plerumque potuerint. Atque ita miſerrime intus, atque extra fuerint tota vita verſati. Cap. VI.*

B NEQVE verò quiſquam putet pleriſq; iſtorum, qui fallacijs, ac virtutum fictarum præſtigiis illudere volunt accidere aliquid iucundum, quod extrinſecus adueniat. licet enim plurima ſint huiuſmodi, quæ ad ſenſus venientia ſuauitate illos perfundãt, ac repleant; tamen vbi incidunt in animum mœrore, & acerbitate conſtipatum, dulcitudo omnis nõ modo euaneſcit, ſed etiam vertitur in multo triſtiorem ſenſum, perinde ac guttulæ tenues candenti ferro inſperſæ magis illud accendunt, ſic iſtæ exiguæ
C iucunditatis ſtillæ amarius efficiunt, quicquid ſentiri poteſt. Atque hinc eſt, huiuſmodi homines venari omne exquiſitarum deliciarum genus, quòd ſcilicet nullus ſit eis præſentium ſapor. Aſpice illum, Seneca inquit ep. 57. cui ſomnus laxæ domus ſilẽtio quæritur, cuius aures nequis agitet ſonus, omnis ſeruorum turba conticuit. Huc nempe verſatur, atque illuc ſomnum inter ægritudines leuem captans, quæ non audit audiſſe ſe conqueritur. quid in cauſa putas eſſe? animus illi obſtrepit. hic placandus eſt; huius ſeditio compeſcenda. Cum Tyrannus, ait Cicero Tuſculanarum v. cœnauiſſet Dionyſius, negauit ſe iure
D illo, quod cœnæ caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat, minimè mirum. condimenta enim defuerunt. quæ tandẽ? inquit ille, labor in venatu, ſudor, curſus in Eurota, fames, ſitis. His enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur. Xerſes, addit idem Scriptor, refertus omnibus præmijs, doniſq. fortunæ non equitatu, non pedeſtribus copijs, non nauium multitudine, non infinito pondere auri cõtentus præmium propoſuit, qui inueniſſet nouam voluptatem, qua ipſe non fuit contentus. at eius pater Darius cum victus à Græcis trepidus fugeret ſiti premẽte, cum fortè aquam cœno immixtam, cadaueribusque,

ait,

ait Cicero, inquinatam, quàm ruſticus illi è foſſa hauſtam porrexerat, bibiſſet in curſu defeſſus, nihil ſe vmquam ſuauius guſtaſſe aſſeueranter, ſerioq. affirmauit. Ptolomæo autem peragranti Ægyptum, comitibus non conſecutis, cum cibarius in caſa panis datus eſſet, nihil viſum pane illo iucundius. A

Atque hæc huiuſmodi ſunt certe quidem. Verum præterea adiicimus infælicisſima plerumque accidere ijs, qui felicisſimi videntur, aut viſi ſint, atque iſtos variis agitari caſibus, & ærúnis, cum ſolidas virtutes non quærunt capeſſere, ſed vmbras inanes earum cōſectantur. Vt enim verbis Plinij loquar, exempla fortunæ variantis innumera ſunt. etenim quæ facit magna gaudia, niſi ex malis? aut quæ mala immenſa niſi ex ingentibus gaudiis? ſeruauit Proſcriptum à Sylla M. Fiduſtium Senatorem annis 27. ſed iterum proſcriptus ſuperſtes Syllæ vixit, ſed vſque ad Antonium. cōſtatque nulla alia de cauſa ab ipſo proſcriptũ, quàm quia proſcriptus fuiſſet. Triumphare P. Ventidium de Parthis voluit quidem ſolum, ſed eundem in triumpho Aſculano Cn. Pompei Strabonis duxit puerum: quamquam Maſſurius author eſt, bis in triumpho ductum; Cicero mulionem caſtrenſem ſuffaraneum fuiſſe, plurimi iuuentam inopem in caliga militari toleraſſe. Fuit & Balbus Cornelius maior conſul; ſed accuſatus, atque de iure iurgatum in eum, iudicum in conſilium miſſus, primusq; externorum, atque in Oceano genitorũ vſus illo honore, quem maiores Latio quoque negauerunt. eſt & L. Fuluius inter inſignia exempla Tuſculanorum rebellantium conſul; eodemque honore, cum tranſiſſet, exornatus confeſtim à populo Romano, qui ſolus eodem anno, quo fuerat hoſtis, Romæ triumphauit ex ijs, quorum conſul fuerat. Vnus hominũ ad hoc cui, qui felicis ſibi nomen aſſeruit L. Sylla ciuili nempe ſanguine, ac patriæ oppugnatione adoptatus & quibus felicitatis inductus argumentis? quod proſcribere tot millia ciuium, ac trucidare potuiſſet, O praua interpretatio, & futuro tempore infelix. non melioris ſortis tunc fuere pereuntes, quorum miſeremur hodie, cum Syllam nemo non oderit? Age, non exitus vitæ eius, omnium proſcriptorum ab illo calamitate crudelior fuit, erodente ſeipſo corpore, & ſupplicia ſibi gignente? quod vt diſsimulauerit, & ſupremo ſomnio eius, cui immortuus quodammodo eſt, credamus, ab vno illo inuidiam gloria victam; hoc tamen nempe felicitati ſuæ defuiſſe confeſſus eſt, quod Capitolium non dedicauiſſet. Q. Metellus in ea oratione, quam habuit

A buit ſupremis laudibus patris ſui L.Metelli Pontificis bis Conſulis,dictatoris,magiſtri equitum, quindecim viri agris dãdis, qui primus elephantos primo Punico bello duxit in triumpho, ſcriptum reliquit,decem maximas res, optimasque, in quibus quærendis ſapientes ætatem exigerent, conſummaſſe eum. Voluiſſe enim primarium bellatorem eſſe, optimum Oratorẽ, fortiſsimum Imperatorem,auſpicio ſuo maximas res geri,maximo honore vti,ſumma ſapientia eſſe, ſummũ Senatorem haberi, pecuniam magnam bono modo inuenire, multos liberos relinquere, & clariſsimum in ciuitate eſſe; Hæc contigiſſe ei,
B nec vlli alij poſt Romam conditam, longum eſt refellere, & ſuperuacuum, abunde vno caſu refutante. ſiquidem is Metellus orbam luminibus exegit ſenectam, amiſsis incendio cum Palladium raperet ex æde Veſtæ memorabili cauſa,ſed euentu miſero. quò fit, vt infęlix quidem dici non debeat, fęlix tamen nõ poſsit. Tribuit ei populus Ro. quod numquam vlli alij ab condito æuo, vt quoties in Senatum iret, curru veheretur ad Curiam: magnum & ſublime, ſed pro oculis datum. Huius quoque Q.Metelli,qui illa de patre dixerat,filius, inter rara fęlicitatis humanæ exempla numeratur. Nam præter honores am-
C pliſsimos, cognomenq. è Macedonia, quatuor filijs illatus rogo, vno Prætore, tribus Conſularibus, duobus triumphalibus, vnò cenſorio,quæ ſingula quoque paucis contigere. in ipſo tamen flore dignationis ſuæ ab Catinio Labeone, cui cognomen fuit Macerioni,tribuno plebis,quem è Senatu cenſor eiecerat, reuertens è campo meridiano tempore vacuo foro, & capitolio ad Tarpeium raptus,vt præcipitaretur, cõuolante quidem tam numeroſa illa cohorte,quæ patrem eum appellabat,ſed,vt neceſſe erat in ſubito,tarde,& tamquam ad exequias, cum reſiſtendi, ſacroq.ſanctũ repellendi ius non eſſet,virtutis ſuæ ope-
D ra,& cenſuræ periturus ægrè tribuno, qui intercederet,reperto, à limine ipſo mortis reuocatus, alieno beneficio poſtea vixit,bonis inde etiam conſecratis à damnato ſuo: tamquam parum eſſet faucium certè intortarum, ſanguinisq. per aures expreſsi pœnã exactam eſſe. Equidem & Africani ſequentis inimicum fuiſſe inter calamitates duxerim, ipſo teſte Macedonico. ſiquidem liberis dixit. Ite filij,celebrate exequias,numquã ciuis maioris funus videbitis. & hoc dicebat iam Balearicus, iam Creticus,iam Dalmaticus,iam Macedonicus ipſe. Verum vt illã ſola iniuria æſtimetur,quis hunc iure fęlicem dixerit,pe-

G rici-

riclitatum ad libidinem inimici,nec Africani ſaltẽ,perire? quos A
hoſtes viciſſe tanti fuit? aut quos non honores,curruſq. illa ſua
violẽtia fortuna retroegit per mediam Vrbem cenſore tracto
(etenim ſola hæc moriendi ratio fuerat) tracto in Capitolium
illud, in quod triumphans ipſe de eorum exuuijs, nec captiuos
quidem ſic traxerat? Maius hoc ſcelus fęlicitate conſecuta factum
eſt,periclitato Macedonico,vel funus tantũ, ac tale perdere,
in quo à triumphalibus liberis portaretur in rogum, velut
exequijs quoque triumphans. nulla eſt profectò ſolida fęlicitas,
quàm cõtumelia vlla vitæ rumpit. quod ſupereſt neſcio morum
gloriæ, an indignationis dolori accedat,inter tot Metellos B
tam ſceleratam Catinij audaciam ſemper fuiſſe inultam.
In Diuo quoque Auguſto,quem vniuerſa mortalitas in hac cenſura
nuncupat, ſi diligenter æſtimentur cuncta magna ſortis
humanæ reperiantur volumina,repulſa in magiſterio equitum
apud auunculum, & contra petitionem eius prælatus Lepidus,
proſcriptionis inuidia, collegium in triumuirorum peſsimorũ
ciuium,nec æqua ſaltem portione, ſed prægraui Antonio, philippenſi
prœlio morbus,fuga, & triduo in palude latebræ ægroti,&,vt
fatentur Agrippa, & Mœcenas, aqua ſubter cutem fuſa
latera turgida, naufragia Sicula, & alia ibi quoque in ſpelunca C
occultatio. iam in nauali fuga vrgente hoſtium manu, preces
Proculeio mortis admotæ, cura Peruſinæ contentionis, ſollicitudo
martis Actiaci,Pannonici belli, ruina è turri, tot ſeditiones
militum,tot ancipites morbi corporis,ſuſpecta Marcelli vota,
pudenda Agrippæ obligatio,toties petita inſidijs vita,incuſatæ
liberorum mortes, luctuſq. non tantum orbitate triſtes;
adulterium filiæ, & conſilia paricidæ palàm facta; contumelioſus
priuigni Neronis ſeceſſus,aliud neptis adulteriũ,iũcta deinde
tot mala,inopia ſtipendij,rebellio Illyrici,ſeruitiorum delectus,
iuuentutis penuria,peſtilentia Vrbis,fames, ſitiſq. Italiæ, D
deſtinatio expirandi,& quatridui inedia,maior pars mortis in
corpus recepta; iuxta hæc Variana clades, & maieſtatis eius
fœda ſugillatio,abdicatio poſthumi Agrippæ poſt adoptionem,
deſiderium poſt relegationem,inde ſuſpicio in Fabium, arcanorumq.
proditionem,hinc vxoris,& Tiberij cogitationes,ſuprema
eius cura. In ſumma Deus ille,cælumq. neſcio adeptus magis,
an meritus, hærede hoſtis ſui filio exceſsit. Huculque Plinius
lib.7.cap.42.& ſeq. recenſens è tota antiquitate Romanorum
vſque ad ipſius ætatem mortales octo, qui viſi ſint fęlices,

A Fuſtidium, Ventidium, Balbũ, Fuluium, Syllam, duos Metellos, & Octauianum, quos varijs calamitatũ fluctibus agitatos fuiſſe quandiu vixere, teſtatur. Quocirca niſi aliquos iſtorum bene ac laudabiliter actæ vitæ conſcientia conſolabatur, næ fuerunt illi infęlicisſimi, quamuis videri felices, ac nominari vellent. Non enim male pronunciauit illud Cicero libro ſecundo de finibus, non hilaritate, nec laſciuia, nec riſu, aut ioco, comitate, aut leuitate, ſed ſæpe etiam triſtes firmitate, & conſtantia ſunt beati. Ac verè Pythagoras *κακὰ μείζω πάσχει διὰ τοῦ συνειδότος ὁ ἀδικῶν βασανιζόμενος, ἢ ὁ τῷ σώματι καὶ ταῖς πληγαῖς*
B *μαστιγόμενος*. vir iniquus, & afflictus conſcientia plus mali patitur, quam qui corpore caſtigatur, & flagris cæditur. contra Antiphon.

> *Τὸ μὴ συνειδέναι γὰρ αὐτὸν τῷ βίῳ*
> *Ἀδίκημα μηδὲν, ἡδονὴν πολλὴν ἔχει.*
> *Conſcium eſſe ſibi in vita ſua*
> *Nullius criminis multum voluptatis parit.*

Atque idcirco inter octo iſtos cum cæteris non adfuerit ma-
C gna felicitas Metelli, ac Ventidius Baſſus videri poſſent feliciores, non enim legimus vllo ſe præcipuo ſcelere aliquando contaminaſſe, aut inani virtutum ſpecie fucum feciſſe hominibus, & tamen illis ſuæ calamitates fuerunt. At quænam felicitas potuit eſſe aut Syllæ, aut Octauiano, qui tot flagitiis animum cõmacularunt, & ſauciarunt inter tot ærumnarum tempeſtates, quæ quidem, ſi bonos vexant, feriunt illæ aheneum murum; de quo cecinit ille.

> *—— hic murus aheneus eſto*
> D *Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.*

Quocirca ſi Plinio credimus inueſtigatori antiquitatũ omnium diligentiſsimo, nemo extitit fęlix inter Romanos vſq; ad ætatem ſuam, Veſpaſianumq. imperantem. quod ſcilicet verſatus quilibet fuerit multiplicibus aduenientium calamitatũ varietatibus, quas niſi compoſitus rectè geſtorum cõſcientia animus ſedarit, neceſſe eſt cunctos multiforme naufragium feciſſe, & in aſperrimos ærumnarum ſcopulos incurriſſe. Hinc eodẽ teſte, antiqui omnes plurimum celebrarunt oracula quædam Delphica, quibus aſſerebatur, nullum felicem, niſi vnum vel al-

terum ſæculis illis,qui contenti exiguo in ſeceſſu degebãt,quaſi numquam fuerit vllus, quẽ conſcientia bene actæ vitæ potuerit efficere beatum, quamuis aduerſis agitatum. ac licet oraculis nulla per ſe danda ſit fides, omnes tamen populi fatebantur eſſe vera,quod vſus rerum vera eſſe comprobaret, idq. ipſa experientia doceret. ſic enim Plinius idem;ſubeunt in hac reputatione Delphica oracula, velut ad caſtigandam hominum vanitatem à Deo emiſſa. Duo ſunt hæc. Phœdium felicißimũ,qui pro patria proximè occubuiſſet. Idem à Gyge Rege tunc ampliſsimo terrarum conſultum, Aglaum Pſophidium eſſe feliciorem. Senior hic in anguſtiſsimo Arcadiæ angulo paruum, ſed annuis victibus largè ſufficiens prædium colebat numquam ex eo egreſſus,atque (vt è vitę genere manifeſtum eſt) minima cupidine minimum in vita mali expertus. Hæc ille eodem libro. Eadem propè habet Herodotus lib. 1. Solonem cum Cræſo Rege differentem inducens,& Cicero Tuſculanarum quinto,ac paradoxo ſecundo. A B

E quibus fit non fuiſſe antiquis vllum Regem felicem, niſi ſiquis virtute ſolida corroboraretur, quando multipliciter omnes aduerſis rebus fluctuarent, ac vexarentur. Cumque alienis à vera religione non poſsit vere adeſſe virtus, reliquum fit,vt aliquid tranquillitatis,quæcumque illa ſit in terris,ij tantum delibarent, qui minus à germana pietate abeſſent, ac non imaginem bonitatis, ſed ipſum bonitatem reipſa ex animo cõſectarentur; quod ſiqui Principes effigiem tantum, neque iſtis quies erat intus in animo,ac proinde nulla felicitatis humanæ pars,& quoniam Deus plerumque eos plurimis,dum viuerent, cladibus affligebat, vt oſtendemus, hinc fit eos maximè infelices fuiſſe, ac longe minus, quàm genuinam iuſtitiam colentes, non ipſius inanes vmbras.Hi namque neq; tot aduerſis,ac tantis conflictati ſunt,vt ſimulatores,& quoties afflictati ſunt, bona ipſos conſcientia bene geſtorũ recreauit, & inconcuſſos effecit. Quod igitur Plinius de Romanis ſingillatim feliciores examinans,& de reliquis gentibus in vniuerſum loquẽs ex oraculis Delphicis, & quod cuncti priſcorum ſapientes aſſeruerũt, diſpiciamus nos exactius,cognoſcamusq. commenticiæ probitatis ſimulatores Reges rebus plerumque contrariis vſos,multiſq. calamitatibus fuiſſe diuinitus perculſos magis,quàm veritatis amatores. Atque hoc etiam multorum Imperatorum, Regumue,qui hæretici fuerunt, aut noſtri quidem,ſed virtutes C D

frigi-

A frigide ſunt amplexati, ac potius imaginem, qui rem præſetulerunt, exemplis illuſtremus. Quod ſi antiquorum nos euenta quæque literis mãdata haberemus, quod tractamus, multo euidentius id fieret, quamobrem contenti erimus, quantum pertinet ad Imperatores Romanos, adduxiſſe, quæ recitauimus cap. 2 & quæ ſequentibus ſpeciatim producentur.

Quantum verò ad eos, qui Chriſtum ſequi profitebantur, & Orientale imperium tenuerunt Valens Imperator hæreticus Arianus à Procopio Tyranno bellis eſt adeo fatigatus, vt imperium, teſte Ammiano Marcellino, deponere cogitauerit, à Gothis denique victus, & combuſtus. Zeno, & Baſiliſcus hæretici Imperatores multis inter ſe prœlijs decertarunt, hic eiecit illum, mox expulſus, ac necatus ab iſto, qui & ipſe miſerabiliter eſt interemptus. Anaſtaſius hæreticus, cum catholicum ſe fingit ab nitio, vt ad imperium venire poſſet, Vitalianum paſſus eſt hoſtem perpetuũ, qui plurima cunctis eius regionibus damna intulit, idemq. à Scythis, Bulgaribusq. varie vexatus. cumque didiciſſet è quadam prædictione futurum, vt fulmine interiret, ad omnia tonitrua ſic expaueſcebat, vt ex aliis in alia cubicula, & profundiſsimos receſſus à ſe conſtructos aufugeret, ac ſe occultaret; quod cum aliquando feciſſet, humi iacens inuentus eſt mortuus. Quin cum percepiſſet Iuſtinum, Iuſtinianumq. ſibi ſucceſſuros, & eos in carcerem conieciſſet, vidit in ſomnis terribilem virum ſibi adſiſtere, & minans edicere, nequid in eos moliretur.

Quid autem de Mauritio dicemus? qui Gregorium magnũ per contumeliam vocare auſus eſt ſimplicem, quique Romanas legiones ira inflammatus Hunnis trucidandas obiecit, doloq. prodidit, an nõ hic à populo lapidibus eſt petitus, multis eſt ſpectris conturbatus, ſeditionibus popularibus ſæpe diuexatus, ac denique cum ſua coniuge, & filijs quinque occiſus?

Phocas cùm multis per ſimulata verba illuſiſſet, vitamque illis abſtuliſſet, ſæpe in ſe populi, ac militum furorem concitauit, à quibus nulla fuit ipſi quies, multis prœliis eſt victus à Perſis, & Hunnis, denique captus ab Heraclio ignominioſiſsimè eſt tractatus. nam calcibus ille in ipſum inſiliens miſerum contudit, caſtrari iuſsit, manus, ac pedes amputari, tandemq. obtruncari, & corpus eius comburi.

Martina vxor Heraclij, cum defuncto marito regnantem videret Conſtantinum priuignum, veneno hunc ſuſtulit, vt Hera-

clæone

cleonæ filio pararet imperium, ſed ſcelere detecto, regio ſolio deiecta eſt, lingua ipſi amputata, filio naſus præciſus, ambo priuati imperio, relegatique ſunt. A

Conſtãs vero hæreticus, qui Martinum Papam dolo capi Romæ iuſsit, & ſceleratis fraudibus catholicos multos variè vexauit, atq; occidit, à Saracenis eſt ſæpius profligatus, multa damna, ac dira paſſus, Theodoſium fratrem virum bonum dolo necauit, templa Romæ ſacrilege ſpoliauit, cumque odia in ſe omnium concitaſſet, eaque perferre nequiret, imperiumque ob id aliò transferre cogitaret, in Sicilia, dum lauaret, à domeſtico eſt interfectus. B

Eius nepoti Iuſtiniano ſecundo, qui concilium contra fidem catholicam flagitiosè aliquando coegit, ademptum eſt imperium, naſus reciſus, ipſe in Cherſonem relegatus. duo monachi, qui ab ipſo præpoſiti omnium rerum ſummæ cuncta crudelitatis exempla, religionis, ac lenitatis, quàm falſo habitu ſimulabant ſpecie edebant, Stephanus, ac Theodoſius funibus ad pedes alligatis per Vrbem pertracti, & in foro publicè combuſti ſunt.

Sed neque Leontius, qui dolo inuaſit imperium diu fuit in quiete, nam paulò poſt anno imperij tertio captus naſo præciſo in carcerem coniectus eſt ab Apſimaro Tiberio, qui poſt aliquot annos à Iuſtiniano ſecundo ſpoliatus eſt imperio, captusque vna cum fratre Heraclio. & hic quidem cum multis aliis iuxta mænia de lignis ſuſpenſus eſt. Apſimarus autem, Leontiusque in vinculis per forum circumducti, colla eorum pedibus proculcata, ac poſtremo capita obtruncata. C

Sed quid accidit huic Iuſtiniano? iratus Cherſoniis, quod in ipſum noua molirentur, exercitu miſſo deleuit omnes, pueris dumtaxat, atque adoleſcentulis exceptis, quos etiam cum perdere cogitaret, ij collectis copijs Elia Principe adiuuante Philippicum Bardanẽ creant, quo audito furore percitus Iuſtinianus Eliæ liberos in ſinu matris iugulauit, ſed mox à militibus ipſe deſertus, captus, & occiſus, ipſius filio Tiberio caput eſt amputatum. D

Neque diu quietus in imperio Philippicus Bardanes hæreticus fuit. Bulgari namque vniuerſam Thraciam, Saraceni Orientem totum populati vaſtarunt, at ipſe cum ſextam ſynodum conatus eſſet indicto concilio abrogare, quamuis nimia pecuniarum profuſione ſibi conciliare animos omnium contẽ-

deret

A deret ſimulationibus inſtructus à Senatoribus in conuiuio cōpræhenſus & oculis effoſsis Imperio ſpoliatur.

Artemius, qui & Anaſtaſius eſt dictus ſufficitur, qui in rebus gerendis, ait Zonaras, verſutiſsimus fuit. Fruſta. nam poſt annum, ac tres menſes, ſeditione concitata milites non ſatis commodè ab ipſo tractati Theodoſium Adramytenū deligūt Imperatorē, ipſum ſede depellunt, ac Theſſalonicam relegant.

Theodoſius hic ignauus, ac rebus gerendis haud idoneus, à Leone Iſaurico, qui & Conon eſt vocatus; vnà cum filio in monaſterium detruſus eſt. ſed cum mox exercitu coactò in Leonē

B mouiſſet vnà cum coniuratis eſt occiſus.

Imperantibus autem Leone Iſaurico, & Leone Copronymo ipſius filio hæreticis ambobus, quot clades afflixerint omnes ipſis ſubiectos, qui terræmotus, peſtes, ſterilitates, bella contigerint, latè Paulus Diaconus, Landulphus Sagax, Zonaras, ac Cedrenus tradunt; ipſi omni vafricie adminiſtrantes imperium nihil non aduerſi, & ærumnarum ſunt perpeſsi, & Leo quidem tandem grauiſsimo inteſtinorum morbo cruciatus interijt.

Copronymus autem carbunculo correptus adeo torquebatur, vt ſępius exclamaret ſe viuentem in flammas ignium fuiſſe

C coniectum,

At filius huius Leo, etſi principio, inquit Zonaras, religionē ſimularet, eiuſque prætextu & pecuniarum largitione multos ſibi conciliaſſet, quinto anno cum coronam in templo conſecratam, ſuo capiti quod pretioſiſsima foret, impoſuiſſet, carbunculi ex eius capite ſunt enati, vehementique febri excruciatus interiit.

Quid vero de Cōſtantino dicemus, qui Nicephorum patruū ſuum, Moſolemque per ſcelus oculis priuarat, plurimis imme-

D rentibus linguas præciderat? An non ille paſſus eſt eadem à matre Irene?

Hæc deiecta, quod arripuerat, imperio fuit à Nicephoro generali in monaſterium detruſa.

At hic, qui ſe Pharaoni quaſi ad ſcelera perpetranda obduratum cōparabat, à ſuis in expeditionē Bulgarica interfectus, cum regnaſſet homo peſsimus, ait Zonaras, annos nouem. eius capite vſus eſt Crumus Bulgarorum Rex pro calice, infuſoque vino ſuis ex eo ad has res accommodato propinauit. eius autem filius Stauratius induere monachum coactus, monaſterioque incluſus eſt.

Sed

Sed quid Leoni Armeno, qui imperium ſe nolle ſimulabat, A
& quaſi ad illud inuitus traheretur, minis, & gladiis ſtrictis, vt
ſuſciperet, de induſtria cōpoſita doloſè eſt compulſus? An non
poſt annos imperij ſeptem, menſes quinque, quibus in magno
ſemper metu, & variis euentibus vixit, amputatis manibus, &
capite eſt occiſus, quatuor eius filij virilibus exectis relegati
ſunt à Michaële Balbo? Atque hic plurimis ipſe caſibus exagi-
tatus ad extremum phrenitide, vrinæq. retentione, ſiue inteſti-
norum dolore diu vexatus poſt annos octo, ac nouem menſes
imperij deceſsit?

Theophilus porrò ſucceſſor multis & ipſe ærumnis afflicta- B
tus ob maximum dolorem, quem capta, & vaſtata à Perſis Amo
rio patria cœperat, cibum non admittens, aut potum niſi aquæ
gelidiſsimæ incidit in dyſenteriā, qua diu vexatus obijt poſt an-
nos imperij tredecim, mēſes tres. Prolixi nimis eſſemus, ſi ſingu-
los Imperatores Cōſtantinopolis, qui effigiem virtutis virtuti
ſolidæ prætulerunt fluctibus, ac tēpeſtatibus exagitatos, ac ver
ſatos vellemus explicare. In manibus ſunt annales Zonaræ Cho
niatæ, Gregoræ, Manaſsis, Glycę, ac poſtremo hiſtoriæ Chalco-
chondylæ, è quibus diſcere poſſumus Reges virtutis fucum non
ipſam rem ſectantes in maximis ſemper, ac turbulentiſsimis C
vitæ æſtibus fuiſſe, qui ſi bonos Reges aliquando turbarunt, in-
tima illos conſcientiæ conſolatio recreabat, ac diuinitus immiſ
ſa bene actæ vitæ voluptas, quæ mentem permeans omnem do-
loris cruciatum mitigabat. Quod ſiquis non contentus hiſce
exemplis plura cupiat. intueri poteſt ille omnium Regum cla-
riores ſucceſsiones, quorum facta ſint litteris mandata, ac vi-
debit id eſſe verum, quod aſſeueramus. plerumque autem cæte-
ris accidit, vt à conſanguineis, & propinquis ſuis perpe-
tuas propè ſeditiones paterentur. idcirco hoc D
omiſſo, caput aliud ſeparatim
ſubijciemus.

A *Reges ſimulatæ virtutis plerumque vexati ſunt perpetuis diſsidijs, ac bellis ſuorum propinquorum, quibus contingebat, vt multo acerbiſsima ipſis vita foret. Cap. VII.*

VELVTI nullus eſt dolor æquandus, aut etiam comparãdus inteſtinis cruciatibus, quod ſcilicet hi torquere viſcera, & intimas corporis partes acutiſsimè ſoleant, incluſiq. maiora
B excitent tormẽta, permeentq. penitus ipſos ſenſuum fontes, ſic toleranda ſunt, quæcumque extrinſecus nos poſſunt affligere, & ab exteris aduerſus nos, ac noſtra commouentur. Quod ſi domeſtici, & coniuncti bella in nos intendant, ſeditionibus inteſtinis propinquos premant, ac fatigent; id verò longè acerbiſsimum fore nemo eſt, qui diffiteri poſsit. Quid igitur iucunditatis ſupereſſe dicemus Regibus iſtis fucata virtute tinctis, ſi perpetuo timore compungantur, ſi variis ærumnarum tempeſtatibus agitentur, ſi diſsidijs domeſticis, & inteſtinis excruciẽtur?
C An aliquid ad eorum miſerias augendas accedet? Oſtendamus itaque nihil à ſuis fuiſſe iſtis ſecurum, nihil omnino quietum. Et quando ſupra omiſimus, quæ ad Imperatores Conſtantinopolitanos pertinebãt, explicemus alios omnes, quos præteriimus, conflictatos à ſuis neceſſariis, & cognatis.

Michaël Theophilo patri, in quo ſupra deſijmus, ſucceſsit; ridiculum eſt commemorare, quibus modis mentiri frugalitatẽ, temperantiam, modeſtiamq. hic conaretur. poterit, qui volet, videre Zonaræ annales. hic igitur, ſimulatq. adoleſcens eſt factus protinus ſenſit domeſticorum diſsidia, Bardæ ſcilicet, ac
D Theoctiſti, quæ non aliter terminari potuerunt, quàm Theoctiſto interfecto, & Theodora Imperatoris matre ab omni tractatione imperij ſummota, & in monaſterium cum ſororibus detruſa. Verum non ita multo poſt Bardas Imperatoris auunculus in ſuſpicionem, & odium nepotis incurrit, quibus diu gliſcẽtibus ad extremũ de medio ſublatus eſt per inſidias, id Michaële procurante, qui cum ſæpe mortem Baſilio Macedoni minitaretur, ille ſibi timẽs, ac præcauens, futiles minas præuenit, eumque interfecit.

Neque verò hic vacuus à ſuorũ perturbationibus fuit. Nam

Leonem filium, quamuis innocentem, domeſticorũ tamen malis artibus inſimulatum diu tenuit in cuſtodia primogenitum ſuum, futurumq́. imperij ſucceſſorem, qui patris excipiens imperium tum aliorum, tum Zauſis conſobrini inſidias eſt paſſus. neque abfuit ſuſpicio ab Alexandro fratre aliquid in ipſum fuiſſe tentatum, cum fuſte percuſſus eſt à quodam, vulnusq́. in capite accepit haud mediocre. A

Conſtantinus huius proles vix Alexandri patrui potuit inſidias vitare. ni occideretur id fuit in cauſa, quod breui ille vixit. imperij tamen cõſortem matrem cum puer eſſet, ſuſtinere diu non potuit, eaq́. in monaſterio concluſa ſocerum ſuum Romanũm Lacapenum ſocium ſibi aſciuit, à quo contra fidem iuriſiurandi in vltimum locum redactus eſt. B

Sed tamen & ipſe haud potuit effugere diſsidia ſuorũ. à Stephano namque, & Conſtantino filijs ſuis eſt ſolio deiectus, & in inſulam Protem relegatus, & induere monachum coactus.

Cum verò inter ſe iſti non conuenirent, à Conſtantino Leonis filio compræhenſi ſunt, atque in monaſteria concluſi, neque tamen hi ceſſarunt inſidias cum patre aduerſus Imperatorem ſtruere. quin ipſiusmet Imperatoris filius Romanus veneno patrem petiuit, cui ſuccedens poſt triennium paulo plus imperiũ duobus filijs, ac matri eorum Theophanoni relinquit. C

Verùm Nicephorus Phocas arrepto imperio eam ſibi vxorẽ adiunxit, quæ poſt annos ſex, ac totidem menſes in maritũ conſpirauit vna cum Ioanne Zimiſce, qui & Imperatorem necauit, & Theophanonẽ auguſtam omni poteſtate exutam relegauit.

Illa nihilominus, cum veneno extinctus fuiſſet Zimiſces, eſt ab exilio reuocata regnantibus ipſius filiis Baſilio, & Conſtantino, qui continenter bella geſſerunt cum ſuis Sclero, & Phoca, qui Imperatores creati à militibus fuerunt.

His ſubſtitutus Romanus Argyropolus initio principatus à ſuis affinibus vexari cœpit, quamobrem Theodoram coniugis ſuæ ſororem, quaſi in ipſum cõſpiraſſet cum Pruſiano Bulgarorum Magiſtro relegauit, Pruſianum cęcauit, Conſtantinũ Diogenem neptis ex ſorore maritum Tyrannidis ſuſpectum coniecit in carcerem. Verum cum regnaſſet annis quinque, menſibus ſex, eo defuncto coniux ipſius Zoe Michaëlem Paphlagonẽ maritum ſibi adſciuit, à quo in ordinem redacta domi cuſtodiebatur, ipſo tamen poſtea procurante adoptauit Michaëlem Calaphatum Paphlagonis ex ſorore nepotem, qui auunculo monachum D

A nachum induenti ſuffectus cognatos propè omnes quaſi Tyrãnidis ſuſpectos caſtrauit; matrem Zoem, à qua fuerat adoptatus, in monaſterium relegauit.

Orta igitur ſeditione excæcatus eſt Michaël Calaphatus, vnà cum Conſtantino auunculo: Zoeque, ac Theodora in imperium reſtitutæ, è quibus illa Conſtantinum monomachum thori, & imperij ſocium ſibi delegit. Aduerſus quem maternus cognatus Leo Tornicius arma, inſigniaq. Imperatoris adſumens parum abfuit, quin Conſtantinopolim caperet. captus ipſe eſt tamen, atque excæcatus.

B Poſt obitũ Zoes, & Monomachi, Theodora ſola regnauit annum vnum, menſes nouem digna mulier, ſiqua tunc alia tanto faſtigio dignitatis, ſubſtitutumq. ſibi adiunxit Michaëlem Stratioticum, qui poſt annum regno deiectus eſt ab Iſaacio Comneno.

Atque hic poſt biennium, ac tres menſes imperiũ ceſsit Conſtantino Ducæ, qui reliquit illud Eudociæ coniugi, ac filiis tribus Michaëli, Andronico, & Conſtantino.

Sed illa quamuis aliter marito promiſiſſet, nubens Romano Diogeni communicauit imperium, cuius malis artibus Ma-
C nuel Comnenus Iſaacij Imperatoris ex fratre nepos à Turcis eſt captus.

Neque multo poſt ipſe Diogenes perfidia Andronici Cæſaris filij ab iiſdem capitur, elapſuſque, & ab Andronico obſeſſus, deditione facta cõtra fidem priuatur oculis, in inſulam Protem relegatur, Michaëlq. Ducæ Imperatoris filius, de quo ſupra diximus, imperium cępit, quo ſpoliatus eſt à Nicephoro Botoniata, monachumq. induere coactus.

Botoniątas à Comnenis Alexio, & Iſaacio, quos ad eandem poteſtatem, dignitatemq. promouerat, idem profiteri inſtitu-
D tum compulſus eſt.

Atque ita ad Comnenos imperium peruenit; anno, vt aliqui notant, 1018.

Ac talis fuit ſtatus Imperatorũ Conſtantinopolis à Michaëli Theophili filio vſque ad Alexium Comnenum per annos propè tercentum. quorum plerique omnes inanes vmbras virtutum, non ipſas virtutes capeſsere contendebant, atque vt vidimus propinquorum ſuorum perpetuis diſsidijs ſunt afflictati, quidam verò etiam priuati imperio, oculis, opibus, humanaq. conſuetudine, relegati, aut in monaſteria detruſi. Ex hoc autẽ

tempore non modo contigere hæc Imperatoribus iſtis,ſed paulo poſt,& illud. Nam vita etiam ſunt à ſuiſmet conſanguineis atrociſsimè ſpoliati. Apertius enim poſthæc deſciuerunt ab obedientia Pontificis Romani,atque ideo magis in facinora dira eruperunt ſtolidiore prætextu virtutis.quod obtigit cunctis pene Regijs poſteritatibus à vera religione alienis; ac propterea à veræ virtutis aſſecutione,vt non modo à cognatis per diſcordias bellicas perturbarentur; ſed regno præterea, ac vita priuarentur, quod ſiquando non eſt admiſſum,vel id non perfectum,quia perfici non potuit,vel raro,cum potuit,eſt à cędibus temperatum. Hoc porrò aſſeueramus de ijs, quorum ſint euenta literis mandata. De obſcura namque antiquitate nihil habemus, quod certo in lucem proferre poſsimus ad hanc rem faciens. A B

Ad ſummam vidimus exemplis imperij Conſtantinopolitani, quantis cognatorum ſuorum diſsidiis exagitentur, ac verſentur ij, qui laruis ſimulationum vitia ſua ſolent obtegere. Idem verò apparere poteſt in Occidente. exempli enim cauſa. Henricus IV. ac Fridericus II. qui virtutis ſpeciem maximè præſetulerunt, alioquin multis obſiti, & obruti vitiis, ipſos aduerſus ſe filios experti ſunt arma ſumentes,ita vt ille ab Henrico filio fuerit imperio ſpoliatus,hic etiam ſtrangulatus. Et verò pœna ſceleri reſpondet. Conuenit enim falli, qui fallit. & qui pro virtutibus vitia venditat, falſa pro veris, inimica pro amicis reponi ſibi cognoſcat. Quod autem boni interdum ſimile aliquid patiuntur, non ita frequenter id illis accidit, neque tam dirum, vt omittamus bonæ conſcientiæ ſolatium, quod penitus ipſos alleuat, ac fouet. C

Sed maiores nunc pœnas aduerſus flagitioſiores audiamus.

A *Reges ſimulatæ virtutis non modo ſuperiora ſubierunt, ſed etiam quandoque conſanguineorum ferales cædes experti ſunt, qui vel ſe mutuo conciderunt, vel ipſi proprios (dictu nefas) parentes occidere, aut à parentibus ſunt occiſi. Cap. VIII.*

TOLERABILIA videbuntur, quæ diximus, ſi reſpiciamus, quæ ſequuntur. Perſonati namque iſti plerumque conſanguineorum ſuorũ ſunt
B experti cædes atrociſsimas, quibus illi ſe ſe inuicem conſumpſere, arma in ſemetipſos ver terunt. Id verò accidit plerumque hæreticis, & à Chriſti cultu alienis, quippe qui omnium longiſsimè aberrarunt à veritate virtutis, ac tenuiſsimas illi vmbras, & informes retinuerunt, ac proinde maioribus calamitatum tempeſtatibus ſunt agitati. & ſane eſt quod maximè admiremur Imperatores Conſtantinopolitanos ex hoc tempore, quo apertius à Romani Pontificis legibus, quibus vera, ac ſolida virtus conſtituitur, abhorruerunt, in has miſerias corruiſ-
C ſe; quod aliis etiam Regum exterorum poſteritatibus obtigiſſe planum fiet.

Alexio Comneno filij tres, quatuor autẽ filiæ fuerunt, inquit initio hiſtoriæ ſuæ Choniatas. Eo viuẽte diſsidia maxima propter imperium domi oborta. Ipſe enim relinquere illud Ioanni conabatur. Vxor Nicephoro Bryennio genero, ac marito Annæ primogenitæ, quaſi hæc primogenita imperium ſibi vendicaret. Alexio tamen defuncto Ioannes occupauit imperiũ. poſt annum cognati omnes ad Bryennium defecerũt. Compræhenſi benignitatem ſunt Imperatoris experti, bonis duntaxat mul
D ctati. Tanti nihilominus perturbationum, ſeditionumq. fuere fluctus, vt Imperatrix aliquando exclamauerit. Heu quantos quantos cruciatus filij percuſſores mihi ſunt moliti, acerbiores vtique ijs doloribus, quos in pariendo toleraui. Nam ij fœtum ad lucem vrgebant. Iſti verò ex inferorum barathro per mediã viſcera mea penetrantes immortalem mihi luctum attulerunt. Hæc illa. Ioanni frater fuit Alexius, qui vnà cum filio Ioanne ad Mahometanos ſe conferens nihilnon mali in fratrem molitus eſt. quin Ioannes abiurata Chriſtiana religione diriſsima quæque eſt in patruum machinatus. quo defuncto exorta eſt di

ſcordia

ſcordia inter Iſaacium natu maiorem, Manuelemq. fratres. hic enim lectus à patre Imperator, fratrem maiorem coniecit in vincula. conciliata tamen pace in amicitiam mox redierunt. Sed Androninus Manuelis conſobrinus in eum ſtruere inſidias numquam ceſſauit, bis in carcerem ductus. ſimiliter Alexius protoſtrator affinis Manueli priuatus omni honore in vinculis eſt ſeruatus. Verùm poſt obitum Manuelis erupit occultum virus in apertam peſtem. A

Alexius namque filius illi ſuccedens adhuc impubes patuit omnium cupiditati, & malis artibus. Inter alios Andronicus, qui Manueli frater erat patruelis, inauditis ſceleribus omnia contaminauit. dum miro aſtu nihil non ſimularet per adumbratam virtutem; & in primis gratiam multorum nactus, auramq. popularem dolo necauit Imperatoris ipſius ſororē vterinam Mariam cum viro ſuo. matrem deinde Imperatoris ſuſtulit. Alexium denique Imperatorem. quocirca imperium ſolus potitus propinquorum multos interfecit, excæcauit, ad mortem quæſiuit, donec Iſaacius Angelus regno priuatum, plurimiſq. contumeliis oneratum, publicè ſuſpendi iuſsit. Ac talis exitus fuit Andronici, hominis omnium crudeliſsimi, qui Latinos innumeros occidit, cunctos Cōſtantinopoli exegit, cadauera defunctorum defodit, diſsipauit, Turcis vendidit, Ioannem Cardinalem legatum Pontificis interfecit, caput eius caudæ canis immundæ appendit, vt per Vrbē publicè ad contumeliam traheretur. Hæc ille omnia per ſuos. tanto in Catholicos inflammatus odio ferebatur. B C

Iſaacius igitur inuadens regnū, quid ſæuitiæ non admiſit in Comnenos affines ſuos? in primis oculos eruit Ioanni, ac Manueli filijs interfecti Imperatoris, mox Alexio, alteri deinde Andronico, filioq. ipſius Comnenis. ſed quis huius tragediæ finis? Iſaacius ipſe à fratre Alexio luminibus, & imperio ſpoliatus, & in rus quoddam detruſus, nihil præter vinum, panemque à fratre accepit. D

Verùm poſt annos octo, menſes tres, dies decem Iſaacij filius Alexius Venetorum, Flandorumq. armis adiutus patruū Conſtantinopoli expulit, ſibi, patriq. recepit imperium. cumque in Latinos multa mala perpetraſſent, Alexius Murzuflus expulſo Iſaacio, ſuffocatoq. Alexio propinquis illud inuaſit. Quod noſtri indignati Murzuflum ſuſpenderunt, & occiderunt. Balduinuſq. Flander imperium cœpit, alijq. Latinorum poſt eum. de

quibus

A quibus nihil ſimile, qualia de iſtis, legimus. Michael Paleologus poſt annos quinquaginta, & menſes octo Latinos imperio Conſtantinopolitano priuauit. ei cum Catholicus vita migraſſet Andronicus filius apertè hæreticus iuſta perſolui vetuit, ac ſepulturam dari. Videamus igitur, qui fuerint in ipſum conſanguinei, & affines.

Andronicus Palæologus à nepote Andronico induere monachum coactus eſt, ab eodem frater Manuel interfectus. obiit relicto, Ioanne impubere in tutela Cantacuzeni, qui paruulũ ſpoliauit omni poteſtate; & in monaſterio concluſit. ſed is maior B effectus inita ſocietate cum Amurathe Turcorum Rege Cantacuzenum depulit, & in omnibus Amurathi operam ſuam dedit ad bella omnia cum ipſo procedens, imperiumque Andronico filio adminiſtrandum relinquens, qui à Patre deſciſcens, & poſtea captus ab eodemmet patre luminibus eſt orbatus, & mox tamen Andronicus eundem patrem, fratremque Emanuelem priuauit vſu oculorum, & imperio. rurſus autem deiectus Andronicus, Emanueli redditum regnum, cum Turcas iſti ſemper aduerſus ſuos aduocarent. Emanueli fuere filij quatuor, Ioannes, Cõſtantinus, Thomas, Demetrius. Inter hos bella per- C petua exarſerunt. poſt obitum quidem Ioannis Conſtantinus à Turcis capta Vrbe eſt obtruncatus, Thomas Demetrium fratrem bello aggreſſus ope Turcarum cæpit, in vinculis habuit, & inedia necauit, ipſe à Turcis eſt interfectus. Atque hic exitus Imperatorum Conſtantinopolis.

Sed certè multo maior crudelitas eſt in aliorum Regum ſucceſsionibus, qui longius abfuerunt à catholicæ religionis veritate, perinde ac ſi diſcrimen maioris, aut minoris ſæuitiæ ſumatur à minori, aut maiori diſtántia noſtræ pietatis, in qua ſolida, & non fucata Virtus, & quam quicumque ſequuntur, minus D illi inanes vmbras, & commentitia ſimulacra ſectantur. En tibi ante oculos Aſſyrij, è quibus Nini filius Ninus videtur à cæde Semiramidis matris auſpicatus eſſe regnum. Sequentium ſanè veluti ſunt obſcura, & ignota geſta, atque euẽta, ſic exitus ignorantur. fabuloſa certè quidem multa de illis iactantur, vt nos alibi docuimus. Eorum ſanè Aſſyriacorum, quorum meminere diuini libri, Sennacherib fuit à duobus filiis occiſus Adramelech, & Saraſar. Lib. 23. ſig. 97. cap. 7. & ſeq.

Chaldæorum verò Euilmerodachus à marito ſororis ſuæ Nirigliſſore eſt peremptus regnandi cauſa; verum filius huius La-

boſar-

boſardachus & ipſe occiſus eſt à Nabonito ſobrino, qui ipſum regno expulit, illudque ad ſe tranſtulit; donec hic à Cyro eſt eiectus. A

Notum porro ab Aſtyage auo quæſitum ad mortem, deſtinatumque nepotem Cyrum, bonoque Harpagi dolo factum, ne is necaretur. At Cyri filius Cambyſes Smerdim fratrem, ac Meroëm ſororem peremit. Xerſes eius ſucceſſor Maſiſtam fratrem, liberoſque ipſius trucidauit. Xerſis proles Artaxerſes inſcienter tamen occidit Darium fratrem natu maiorem; Artaxerſis nepos Artaxerſes cognomēto Memnon Cyrum interfecit in acie. fuere huic Memnoni è pellicibus centum quindecim filij; tres tantum legitimi Darius, Ariarthes, Ochus. Ex his pater Darium viuens Regem creauit. is vt ſolus imperaret interficiendi patris cum quinquaginta fratribus conſilium cępit. Scelus eſt detectum. necati omnes cum coniugibus, ac liberis. poſt obitum patris Ochus ſucceſsit, qui ſibi timens cognatos omnes cum tota poſteritate interemit. Poſt hæc Ocho, atque ipſius filio Arſe interfectis Darius imperium ſuſcepit, qui & ipſe cognatis adſentientibus eſt de medio ſublatus, poſt partas ab Alexandro Magno victorias. Hic igitur Perſicorum Regum finis, qui dum dolo regnum tenere, aut inuadere moliuntur, genuina virtute abiecta in ſuorum necem conſpirauerunt. Hic ſcilicet fructus ſimulationis, vt nullum ſit cōſanguinitatis, & cognationis ius, nullum omnino vinculum. B C

Alexander euerſis Perſarum regnis veneno à ſuis dato vita migrauit, eius progenies omnis, & cognatio funditus exſtirpata Caſſandri ſui ſimulatis artibus. eius imperia maxima in plures diuiſa. Præcipui fuere Seleucidæ, ac Ptolomæi.

Inter Seleucidas autem quid non atrox eſt perpetratum? fictionibus, ac dolis cuncti inire regnum conati ſunt, atque adminiſtrare. Antiochus Deus à Laodice vxore eſt veneno ſublatus, Seleucus vero Callinicus huius Soboles Beronicem nouercam cum filio paruulo, ac ſuo fratre interfecit. Callinici proles Ceraunus dolo fratris Antiochi eſt interfectus. At Seleucus Demetrij, è Cleopatra Ægyptia fili' ab ipſa matre eſt occiſus, quod ipſius iniuſſu Regiam coronam ſumpſiſſet. cumque eadē ſimulationibus ac dolis ijſdem peteret alterum filium Antiochum Gryphum coacta eſt venenum bibere, quod filio pararat iuſtitiæ. ſ. talionem reddentis prætextu, cum Grypho hoc frater ipſius Antiochus Cyzicenus perpetua bella geſsit, alter alterum D

terum

A terum virtutum iura præſeferens regno expulit donec ſimula-
tis hiſce officiis tota progenies eſt abſumpta.

Veniamus ad Parthos, qui magnam regnorum partem Se-
leucidis abſtulere. E quibus Horodes Mithridatem fratrem,
qui ſe vltro illi bona fide commiſerat, vt ſolus regnaret, interfe
cit; ipſe à filio Phraharte aconito dato eſt interemptus; ſed &
hic Phrahartes à filio Phraharte eodẽ modo vita eſt priuatus.
Inde Artabanus à Gotarze fratre, vnà cum filiis, atque vxore
interfectus. Poſtea verò Gotarzes deceſsit vnà cum fratribus,
propinquis, ac mulieribus ipſis grauidis, multiſq. aliis ſuorum,
B per ſæuitiam cæſis. Cum verò Vologeſi vltimo bellum diu fuiſ-
ſet cum Tyridate fratre; & poſtea Artabano ſimiliter vltimo cũ
Volgeſe item fratre, Parthis ob inteſtina hæc prœlia miſerabi-
liter acciſis, atque attritis Perſæ rurſus in antiqua regna redie
runt auſpiciis Artaxerſis. inter Perſas autẽ cum Choſroës ſibi
ſucceſſorem deligere vellet Merdaſanem natum minorem filiũ
Syroës filius maior patrem, fratreſq. omnes cœpit; hoſq. ante
conſpectum patris necari; ipſum cum dies quinque variis iniu-
riis afflixiſſet, tandem ſagittis configi iuſsit. neque multo poſt
omnia tranſlata ſunt ad Saracenos.

C Iam verò ſi Ægyptiacos Reges, & eorum facta, quæ ſint me-
moriæ prodita, intueamur, cognoſcemus, quam ſit fucatæ bo-
nitatis color inanis. ex Herodoto, ac Diodoro ſcimus, domum,
in qua Seſoſtris Rex celeberrimus, vnà cum ſex filiis moraba-
tur, incenſam fuiſſe ab ipſius fratre, quo cognito ille compulſus
eſt duos è filiis in eas coniicere, ac ponte ex eis facto elabi. eo-
dem modo cum Sethoſis, ſiue, vt alij vocant, Thoſſus Armai fra
tri, vel Armeo regnum reliquiſſet adminiſtrandum, pergens ip-
ſe aduerſus Phœnicas, Syrios, ac Medos, Armais expulſa Regi-
D na, violatis concubinis regiis, multa in fratrem perpetrauit, do
nec ille reuerſus eiecto fratre regnum recepit. Atque hæc iſti
ſimulatæ virtutis Reges, poſt quos Perſæ, de quibus eſt dictum;
poſtremo autem Ptolomæi regnarunt. Ex his Philomater, at-
que Alexander necarunt matrem; idemq. Philopater vxorem,
ac ſororem ſimul, Euergetes filium, ac fratrem, quin alium filiũ
diſcerpſit in fruſtra, coctum ciſtæ incluſit, ac matri dari donum
curauit, Auletes filiam, generumq. interfecit, Cleopatra fratrẽ,
ac denique ſemetipſam viperam ad vbera admouens, Romanis
Ægyptum redigentibus in prouinciæ formam.

Ex his apparet, quod à principio fuit à nobis propoſitũ, Re-

ges ſimulachra inania virtutis præſeferentium poſteritatē mutius ſe cædibus abſumere,& cōcidere. quod ſi quis adhuc latius id percipere cupit, poterit alibi à nobis pertractatum cognoſcere ſignis de pietate,& infelici alienorum poſteritate. Nunc nobis certè ante oculos obuerſatur Otthomanorum proſapia, cui videmus hoc accidere,vt fratres inuicem ſe perimere contendant,ac perimant. neque Patres abſtineant ab iniuſta filiorum cæde,vel filij ab ipſorum parentum nece. Vix eſt igitur,vt quamuis properet ad annos imperij tercentum,tamen vel illos attingat,vel ſuperet aliqua parte. A

Quæ ſanè omnia Catholicis adeo non eueniunt, quippe qui propius accedere conentur ad veritatem, vt cum gens Hugonis Capeti ſexcentos annos Galliis dominata ſit, & nōnulli ex illa Reges viginti ſeptem numerent, nullus vnquam tamen Rex earum legitimè conſtitutus fuerit à cognato vllo interfectus,expulſus,aut in carcerem coniectus. Idem contigit Portugallenſi,quæ propè idem tempus regnauit. Aliæ porrò Catholicorum Regum conſanguinitates minus, magiſúe id ſunt perpeſſæ, quo minus, ac magis veritatem ſunt amplexatæ,mendacia repulerunt; quæ nos adductis ſignis latè docuimus; Tanta ſcilicet eſt vis veræ virtutis. B

Igitur, quæ felicitatis eſſe pars poteſt illis,quibus domi aluntur,domi naſcuntur hoſtes,qui more viperarum ſemetipſos cōficiunt,atque exedunt? Num volumus homines nos eſſe? An volumus eſſe belluæ? Sed quænam? forſan, quæ minus habent feritatis,minus atrocitatis? Viperis quibus eſt hic mos,nihil crudelius,nihil immanius,peſtilentius,venenatius? Et homo reperietur aliquis,cui veniat hoc in mentem? An non iſte vipereus Cadmeos homines,aut potius ſerpentes inſtituet, qui non modo inuicem ſe corrodant,ſed cuncta ad ſolitudinem,ſquallorēq. adducant? Ac tales ſanè Turci,Scythæ,& quicumque vnquam mores huiuſmodi dicuntur amplexati. verum nemo ex ipſis dixit, ſimulationi ſoli ſemper inſiſtendum, munus omne virtutis abijciendum à Regibus, & Principibus, modo id ſit vtile, ac lucroſum. Quamuis id egerint aliqui,non tamen ſanxere,aut ſanciendū ſtatuerunt.illud certè ex huiuſmodi ſententia ſequetur, vt anſam demus cognatis in cognatos ſæuiēdi; quod eſt pluſquam belluinum. nam rectè ille. C D

Sed iam ſerpentum maior concordia, parcit

Co-

A *Cognatis maculis ſimilis fera, quando leænæ*
Fortior eripuit vitam Leo? quo nemore vmquam
Expirauit aper, maioris dentibus apri?

Sequi Reges fraudulenti ſunt ad magum felicitatis culmen euecti grauiori deinde illi caſu cum ſuis conciderunt. Cap. IX.

B EFFVGERVNT aliqui earum, quas recitauimus, clades aliquas, viſiq. ſunt flagitioſi conſiſtere in altiſsimo felicitatis faſtigio. ſed euentus poſtea docuit, vere à Sulmonenſi dictum.

—— vltima ſemper
Expectanda dies homini, diciq. beatus
Ante obitum nemo, ſupremaq. funera debet.

Quocirca non alia de cauſa videntur extolli ad illud proſpe-
C ritatis culmen, niſi vt magis affligantur, & conterantur, perinde ac ſiquis terræ allidendus, vt magis conteratur, in celſiſsimã turrim portetur, vt ex eius deinde ſummo proijciatur in terrã, confringanturq. omnia ipſius oſſa, contuſis, ac diſsipatis membris. ac licet cap. iv. egerimus de ijs, qui regno expulſi vixerũt in miſerijs, & hoc videantur eadem repeti, nihilominus agitur nunc à nobis, non de quauis felicitate, & quauis miſeria, ſed de maxima tum hac, tum illa.

Nota eſt hiſtoria Sardanapali Aſſyriorum Regis vltimi, qui cum viueret in effœminatiſsimis deliciis exemplo maiorũ ſuo-
D rum, luxumq. incredibilem præcluſo omnibus aditu ne detegi poſſet, occultaret maieſtatem virtutibus Regiis ornatam ſimulans: depræhenſus ad extremum ab Arbacto, ſiue Arbace primo latebras, inquit Iuſtinus lib. 1. circumſpicit; mox deinde cum paucis, & incompoſitis in bellum progreditur. Victus in regiam ſe recipit, & extructa pyra, ſe & diuitias in incendium mittit.

Neque verò fœlicior exitus fuit Labinito Chaldæorum Regi & ipſi vltimo, qui voluptatibus indulgens capta Babylone à Cyro eſt turpiter obtruncatus, quod Herodotus lib. 1. narrat.

Cræſus Lydorũ Rex opulentiſsimus, cuius diuitiæ loco prouerbio fecerunt, cum ſe fortunatiſsimum putaret, & iactaret; à Solone reſponſum tulit, neminem ſtatuendum fœlicem, niſi poſt mortem, quę cuiusq. vel felicitatem, vel infelicitatem cõcludit. Commiſſa igitur pugna cum Cyto, victus, & captus eſt. Cyrus vinctum compedibus ſuper ingentem lignorum ſtruem cum quatuordecim Lydorum filiis cremandum collocauit. Tum recordatus ille Solonis, ter ipſum voce alta inclamauit. quæſiuit ab eo Rex, quid Solonem clamaret. rem, vti erat, narrauit ei Cræſus. vicem miſeratus hominis Cyrus, mortaliumq. varios caſus, eum liberauit. A B

Verùm nihil felicius Polycrate, quandiu ſtetit in regno, nihil eius caſu ærumnoſius, nihil tota re admirabilius legitur in antiquorum euentis. Audiamus, quid de illo Herodotus, ac Diodorus ſcribant, & apertiſsimè à veris virtutibus non ſimulatis regna pendere diſcamus. Hæc ſunt Hærodoti verba libro tertio. Dum Cambyſes in Ægyptum contendit Lacedæmonij quoque intulere belium Samo, & Polycrati Æacis filio, qui Samum vi occupauerat, eamque inter initia trifariam partitus erat cum fratribus Pantagnoto, & Syloſonte. quorum deinde altero necato, altero, qui erat iunior, eiecto, totam ſolus obtinebat, inito fœdere cum Amaſi Rege Ægypti, cum quo hoſpitium habebat, mittens munera, viciſsimq. accipiens. breuique ſtatim tempore res eius adeo profecerunt, vt per Ioniam, cæteramq. Græciam celebrarentur. quocumque enim bellum intulerat, cuncta ei proſpere cædebant, cum haberet centum triremes, mille ſagittarios, inuadens omnes ſine vllo cuiuſquam diſcrimine, quod diceret ſe magis gratificari amico, ſi ei, quæ abſtuliſſet, redderet, quàm ſi nihil adhuc auferret. multas itaq; hic inſulas, multa etiam in continẽte oppida capiebat. Lesbios enim cum multis copiis opem Mileſijs ferentes nauali prœlio vicit, cępitq. qui omnem foſſam mœnia Sami ambientem vincti foderunt. Atque res Polycratis tantopere ſecundas non latuit Amaſim, cui hoc curæ erat. Sed cum aſsiduè forent multo ſecundiores; Amaſis libellum Samũ miſit in hæc verba ſcriptũ: Amaſis Polycrati, ita inquit. Mihi quidem feliciter agi cum viro amico meo, & hoſpite audire voluptati eſt: tamen tuæ magnæ proſperitates mihi non placent, qui intelligo quàm inuidũ nomen ſit. Quod ad me attinet malim tum meas ipſius, tum eorum, qui mihi curę ſunt, res nunc proſperè ire, & per varias fortunæ C D

tunæ

A tunæ vices æuum traducere, quàm in omnibus mihi proſpere cædere. tu itaque mihi obtemperando, hoc aduerſus proſperitates agito, diſpice, quid tibi eſt, quod plurimi facias, quodq́ue amiſſum tibi maximè doleret. id vbi inueneris, ita abijcito, vt numquam ad homines veniat. Quod ſi proſpera tua deinceps non variabuntur, aduerſis medeare tu tibi ſubinde eo modo, quem ſibi ſubieci. Hæc cum legiſſet Polycrates, & in animum demittens, tamquam bene ſibi ab Amaſi præcepta, diſquirebat quodnam ornamentorum ſuorum eſſet, quo amiſſo maximè ipſe moleſtia afficeretur. Atque hoc tandem quæritando inue-
B nit. erat ei gemma ſignatoria ſmaragdus, quam geſtabat auro incluſam, opus Theodori Samij Telecleg[e]niti. Hanc vbi abijciendam ſtatuit, ita abijcere libuit. biremem conſcendit. eam dehinc viros, quibus illam inſtruxerat, in pelagus educere iubet. & poſtquam ab inſula procul aberat, detractum ſibi ſigillum, dictis, qui vnà nauigabant, inſpectantibus, abiecit in pelagus. Hoc acto renauigauit. reuerſo domum, cum ex iactura afficeretur, quinto, ſextoue, quo hæc acta ſunt, die, hoc ei caſu euenit. piſcator quidam captum à ſe piſcem, grandem ſanè, ac pulchrum putauit dignum, quo Polycratem donaret. eum ad
C fores cum attuliſſet, dixit ſe in conſpectum Polycratis ire velle. à ianitore permiſſus donãs Polycrati piſcem, Rex, inquit, hunc ego, quem cœpi piſcem, etſi operis manuariis vitam tolero, tamen non indicaui ferendum à me eſſe in forum, ſed te, tuaq. potentia dignum. eum itaque affero tibi, donoque. His verbis ille delectatus, ita reſpondit. tu verò probè nec facto ſolo, ſed etiam oratione apud me iniſti gratiam. Ad cęnamq. te vocatum volo. Hæc magnifaciens piſcator, domum abiit. piſcem miniſtri reſcindentes, offendunt in eius aluo ſigillum Polycratis. quod vbi viderunt, ſumpſeruntq. ad Polycratem lætabundi
D quàm celerrimè pertulerunt. eoq. illi reddito, referebant quo pacto fuiſſet inuentum. Polycrates, quemadmodum res diuinitus contigit, ſingula quæque à ſe geſta, retulit in libellum. Hæc Herodotus de ſecunda Polycratis felicitate. Cognoſcamus nunc quid Diodorus lib. 1. antiquarum rerũ cap. 5. ſcribat. Poſt hunc, ait ille, legibus multa addidit Amaſis Rex. (inter Ægyptios) quem tradunt, & de eis, quæ ad monarchas pertinent, deq́. omni Ægyptiorum œconomia præcepiſſe. Hunc admodũ perſpicacem fuiſſe ſcribunt, iuſti, æquiq́. amatorem: qua ex re ab Ægyptiis eſt Rex conſtitutus, cum Regio genere ortus non

eſſet.

eſſet. cum Elienſes circa Olympiacum certamen occupati le- A
gatis ad eum miſsis quæſiſsẽt, quo maximè modo id certamen
iuſtè fieret, ſi nullus Elienſis certaret, reſpondit. Polycratem Sa
miorum principem, qui ſecum ſocietatẽ coierat, cum & ciues,
& externos eò nauigantes violentius tractaret, per legatos ad
modeſtiam hortatus eſt, quo ſua conſilia aſpernante, per epi-
ſtolam ſocietatem diremit ſcribens, cum ſciret breui illum ty-
rannidis impię pœnas daturum, nolle ex amici caſu dolere. ad-
mirati ſunt Græci plurimum viri prudentiam, cum Polycrati
breui, quod prædictum fuerat, eueniſſet. Hæc Diodorus, quid
euenerit refert Herodotus eodem libro. Cum aliquando, ait, B
pro foribus Regis (Cambyſis) conſiderent Orętes, & alter qui-
dã Perſes nomine Mitrobates, præfectus gentis, quæ eſt in Da-
ſcylio, è verbis ad iurgia peruenerunt. & cũ de virtute diſcepta
retur, Mitrobates obiiciens Orœti inquit, tune in precio viro-
rum es, qui inſulam Samũ tuæ prouinciæ adiacentẽ regi nõ ac-
quiris, ita facilẽ captu, vt quidã è popularibus (Polycratis) quin
decim armatis fretus occuparit, eamq. Tyrannide occuparit?
Hoc iurgium audienti Orœti adeo doluiſſe quidam aiunt, vt af
fectauerit non de iurgante vindictam, ſed Polycratem prorſus
occidere. & mox. Itaque Orœtes in Vrbe Magneſia degẽs, quæ C
eſt ad Meandrum flumen ſita, miſit Myrſum quendam Lydum
Gygis filium cum nuncio in Samum ad Polycratem cuius ani-
mum nouerat. etenim Polycrates primus extitit Græcorum
dumtaxat eorum, quos nouimus, ſecundum Minoẽm, & ſi quis
alius iſto prior maris imperio potitus eſt, qui in animum indu-
xerit, vt mari potiretur. Primus, inquam, extitit ex eo genere,
quod humanum vocatur, qui multam conciperet ſpem Ioniæ,
atque inſulis dominandi. Hoc igitur in animo cum habere
certior Orœtes factus, miſit nuncium in hæc verba, Orœtes Po D
lycrati ita inquit: Audio te res excellentes agitare animo, ſed
propoſito rem pecuniariam non ſuppetere. Quod ſi ita feceris,
vt ſuadeo proſpexeris & tibi, & ſaluti meæ. Nam Rex Camby-
ſes, vt mihi pro comperto renunciatur, de me interficiendo co
gitat. Nunc igitur me ipſum recipito, atque pecunias, earum
partem tibi habiturus, partem mihi permiſſurus, & ipſarum pe
cuniarum beneficio omni Græciæ imperaturus. de quibus ſi mi
hi fidem non habes, mittito quempiam tibi fidiſsimum, cui ego
fidem faciam. quo audito Polycrates gauiſus eſt, atque obſequi
volebat. maiorem enim in modum pecuniã auebat. mittit ita-

A que prius ad rem inſpiciendam quendam è popularibus ſuis Mæandrium Mæandrij filium,ſcribam ſuum,qui non longo poſt hoc tempore ornatum conclauis Polycratis ſpectatum dignū templo Iunonis omnem dicauit. Hunc Orœtes cognito ſpeculatorem eſſe circumſpectum,ita ſibi agendū putauit. Octo ſcrinia lapidibus implet præter admodum paruam partem circa ipſas oras,ac ſuperficiem lapidum auro inducit; eaque ſcrinia alligata in expedito habet. quæ adueniens Mæandrius cum inſpexiſſet Polycrati renunciauit. Enimuero ne ſe illuc conferret magnopere dehortabantur, tum oracula & amici, tum præci-
B puè ſomnium hoc,quod eius filia viderat. Videbatur ſibi cernere patrem in aere ſublimem eſſe, qui à Ioue quidem lauaretur,à Sole autem inungeretur. Hanc viſionem conſpicata inſtabat omnino diſſuadere patri, ne à præſentia proficiſceretur ad Orœtem;quinetiam ad biremem eūti male ominabatur. cui cum ille minitaretur, ſi ſoſpes rediret, fore, vt diu maneret virgo. ipſa vt ita ſibi cōtingeret,ſibi imprecata eſt. malle enim ſe diutius Virginem eſſe,quàm patre orbari. Polycrates omne conſilium pro nihilo habens ad Orœtem nauigauit, cum alios ſecum ducens,tùm verò Democidem Callephontis Crotoniē-
C ſem medicum qui artem apud ſuos præclariſsimè omnium exercebat. Vbi Magneſiam peruenit Polycrates tetra morte eſt affectus,indignaq; aut ſua perſona,aut ſuis cogitationibus: nam neque eorum, qui Syracuſis Tyranni extiterunt, neque aliorum Græciæ Tyrannorum vllus eſt magnificentia cum Polycrate comparandus. Eum Orœtes;quod indignum relatu eſt, cruci ſuffixit. eorum,qui illum comitati fuerant, Samios quidē dimiſit,iubens eos gratiam ſibi habere, quod liberi eſſent, hoſpites autem,atque ſeruos iure captiuitatis ſibi vendicans, retinuit. Polycrates ergo ſuſpenſus omnem filiæ viſionem exſol-
D uit. nam ab Ioue quidem cum plueret lauabatur: à Sole autem exſudante è membris abdomine,vngebatur. Hunc exitum habuerunt tot proſpera Polycratis, quem vaticinatus ei fuerat Amaſis Rex Ægypti.

Ex hac narratione liquet eos,qui malis artibus ad ſummum felicitatis euehuntur, infeliciſsimo omnium fine vitam terminare;doloſque ac ſimulationem nihil denique hominibus prodeſſe. Plurima in hoc argumētum poſſent à nobis exempla colligi, quorum magna pars eſt recitata ſuperioribus capitibus. hic nonnulla addemus.

Edoar-

Edoardus quartus Angliæ Rex obiit anno 1483. relictis duo bus maribus Eduardo,& Richardo,ad quos regnum ſpectabat, ac fæminis quinque. Defuncto frater erat Richardus,qui impuberum tutelam ſuſcepit. is principio quaſi maleficos de medio ſuſtulit principes quoſdam,qui nefariis ipſius conſiliis aduerſari poſſent. Dein nepotes compoſitis quibuſdam dolis. atque ita ad ſe regnum tranſtulit. multisque operibus bonis, vt aboleret infamiam patrati ſceleris fucum populo facere conatus eſt. Verum poſt adepta regni gubernacula cum ſibi videretur in maxima tranquillitate eſſe,omnium defectionem paſſus regno,ac vita exutus ipſo etiam ſepulturę honore,atque omni funeris officio caruit. A B

Idem fuit exitus Henrici tertij, Friderici ſecundi, huiuſmodique aliorum Imperatorum,ac Regum, de quibus eſt ſupra à nobis dictum;vt Chriſtierni Daniæ Regis,Ludouici Sfortiæ cognomento Mori Mediolanenſium Ducis.

Verùm,quod nos haud attigimus,hæc maximè eluceſcunt in poſteritatibus Regum, quæ finem plerumque infælicisſimũ ſortitæ conciderunt, ac funditus extirpatæ ſunt, nullumq. illarum veſtigium, vel tenuè remanſit. Quod adeo verum non eſt inter Catholicos, vt eorum nulla ſtirps Regia defecerit, quæ nos abundè oſtendimus ſignis de felici poſteritate Regum Catholicorum,& infelici alienorum; duratq. adhuc gens antiquiſſimorum Regum Burgundionum, & Francorum, per fœminas propagata,& conſeruata. Contra verò familiæ alienorũ à Catholica religione ad nihilum redactæ ſunt, miſerrimo fine liberorum,ac nepotũ. Nã qui quæſo,& quàm lachrymabilis exitus Aſſyriorum,Ægyptiacorum, Macedonicorum, Ptolomæorum, Seleucidarum,Perſarum,Saracenorum,& omnium, quos recenſuimus adducto libro? C

Verbi gratia progenies Aſſyriorum deſijt in Sardanapalo, qui ſe,ac ſua proiecit in flammas,& in Labinito, qui à Cyro captus eſt,atque obtruncatus. D

Similiter familia Darij Hiſtaſpis defecit in Arſe, qui vnà cum tota ſtirpe regia ab Eunucho Bágoa fuit extinctus, ſiue in Dario,qui à Beſſo præfecto fuit interfectus.

Seleucidæ porrò cum mutuis ſe bellis obtererent,periere,ac poſtremus eorum Seleucus Gryphi filius ad aram Mopſi eſt combuſtus, quod ſi Antiochus Euſebius regnauit aliquando, ſpoliatus omni imperio miſerè deceſsit, veluti Philippus,

A lippus, qui à Gabinio captus memoratur.

Sic Arſacidæ interierunt, cum peremptus eſt Artabanus ab Artaxerſe Perſa, cuius gens periit abducto Hormiſda vnà cum filiabus à Saracenis in ſeruitutem.

Sed inter Ægyptios Pſammitici poſteritas defecit cum ſtrangulatus eſt Apries ab Amaſi, cuius filius Pſammenitus epoto ſanguine taurino mori eſt coactus.

Notum cunctis Ptolomæorum gentem perijſſe, cum Cleopatra viperam ſibi ad vbera admouit.

Quid verò de filiis Mithridatis Pontici dicemus, ipſoq. pa-
B tre, quorum miſeranda euenta refert Appianus? quid de Macedonicis Regibus, & Alexandri liberis?

Conſtat enim filios Alexandri Magni Alexandrum poſthumum cum auia, & matre, Herculemq. ſublatos veneno Caſſandri inſidiis, atque ita deſijt genus Alexandri ab Hercule, vt aſſerunt nonnulli, deductum. familia porrò Antipatri, quæ poſtea regnauit, ita periit; Antipater Caſſandri filius matrem peremit, ipſe à ſocero Demetrio eſt interfectus, ſicut & frater eius Alexander.

Poſt hos imperiũ Macedoniæ tenuit Antigonus, cuius agna-
C tio interiit in Demetrio, ac Perſeo, è quibus ille veneno necatur iuſſu patris inſtigante fratre, confictisq. criminibus, Hic captus cum filiis Philippo, & Alexandro, filiaque vnica in triumpho Romæ ductus eſt. & Philippus quidem mortuus eſt, vnà cum ſorore in carcere, Alexander ſcribendo ſibi victum comparauit.

Sed nihil æque apparet miſerandum in his rebus, ac finis Mahometanarum gentium. Nam & ſæuiunt inter ſe cognati atrociſsimi, & ad extremum luctuoſiſsimo funere Regias familias extirpant: quæ nos explicauimus latè ſigno nonageſimo octa-
D uo lib. 23.

Iam verò ſicut Reges, Regumq; poſteri, qui virtute ſolida haud innituntur, quamuis maximè videantur aliquando felices, grauiori caſu concidunt, ſic integræ nationes ad internecionem dantur, quæ fucatas virtutes amplexatæ ſunt, cum conſiſtere in altiſsimo proſperitatis gradu dicuntur.

Exempli gratia. Vandalis, quandiu regnarunt in Africa, nihil beatius apparebat, cuncta illis ad votum contingebant. Romam diripuerunt. è portu Carthaginis ſoluentes quotannis te-

K rè

rè littora omnia Siciliæ, Italiæ, Græciæq. prædabantur, nihil ab illis erat tutum. claſſes potentiſsimæ, quę aduerſus illos miſſæ fuerant, & quibus obſiſti nullo modo poterat, disiectæ omnes fuerunt. Ad extremum tamen conciſi plerique omnes, pauciſſimi ſuperſtites in ſeruitutem ſunt adducti; nullæ totius nationis reliquiæ memorantur ex eo fuiſſe. A

Quid verò de Oſtrogotthis dicemus, qui tot annos tanta felicitate ſunt Italię dominati? & ipſi ſimiliter victi à ducibus Iuſtiniani Imperatoris, & ad nihilum redacti nullos poſt ſe, qui vel nomen ſolum nationis illius tuerentur, reliquerunt, quę nos omnia diſcimus è Procopij libris de bello Gotthico, & Vandalico. B

Eamdem ſortem ſubierūt antiqui Parthi, quorum crudelitas maximè inſignis extitiſſe videtur. à Perſis enim deleti, Coraxanis, Turcis, Saracenis, Tartaris. nullas poſteris gentium ſuarum progenies reliquere. quamuis hoc ſit commune Aſiaticis pene cunctis populis, qui fuerunt olim celebres, vt amiſerint omnem vetuſtatis priſtinæ ſtirpem cum nomine, ac politioribus doctrinis; quod Ægyptiis etiam contigiſſe conſpicimus, apud quos liberaliores diſciplinæ, ſic olim dicuntur excultæ, vt Græci ad illos earum percipiendarum cauſa proficiſcerentur, quod nobis fidem facit Plato in Critia, multis in locis Herodotus lib. 2. Diodorus Siculus lib. 1. & 5. & alij. Illos adierunt Orpheus Trax, Linus Thæbanus, Muſæus Athenienſis, Homerus, Heſiodus, Lycurgus, Solon, Thales, Pythagoras, Xamolxes, Democritus Abderita, Plato ipſe, Eudoxus. C

Quocirca mirum ſit; ad nos perueniſſe ſcripta iſtorum quæcumque poſteris illi reliquerunt, periiſſe omnia Ægyptiorū monumenta. neque ad rem facit, ſiquis dicat Ægyptiacos libros vetuſtiores. Nam quo tempore viuebant Græci illi, quos memorauimus, Ægyptiis erant celeberrimi diſciplinarum Magiſtri, & tamen ipſorum ne litteram quidem habemus, Græcorū verò plurima, & nobiliſsima ſcripta. Vnus Mercurius Triſmegiſtus à Græcis eſt cōſeruatus. Ægyptiaca namque lingua omnino periit. Adeo germanæ virtuti adiuncta eſt immortalitas, ac vita. falſitati interitus, & deletio. Adeo quicumque populi culmen felicitatis in quauis re viſi ſunt obtinere, vbi à veritate diſcedunt, prorſus exterminantur, atque abolentur, vt grauior ſit eorum ruina, quàm quorumuis aliorum. D

Quid

A Quid verò dicemus de Chaldæis,Babylonijs, & Aſſyriis quorum nullum peruenit ad poſteros monumētum, cum plurimos tamen olim ſapientes habuerint, & excellentes in omni genere doctrinarum? Quod autem dicimus de ciuiliori literatura, idem de regionis ornatu, vrbium frequentia, ædificiorumque magnificentia poteſt à nobis affirmanter, ac veriſsimè aſſeuerari. Verùm ſpectat hoc ad aliud argumentum, de quo mox agemus. Interim ſit illud verum, plurimiſque, ac nobiliſsimis euentis comprobatum,quod cecinit vates prophanus.

B

—— celſæ grauiore caſu
Decidunt turres, feriuntq. ſummos
Fulmina montes.

Et

Vis conſili expers mole ruit ſua,
Vim temperatam Dij quoque prouehunt
In maius: ijdem odere vires
C *Omne nefas animo mouentes.*

Reges ſimulatæ virtutis numquam tam diu, ac tam latè dominati ſunt, vt veritatis cultores. Cap. X.

D NON opinetur vllus tamen iſtos fucatæ virtutis affectatores imperiis latiſsimis præfuiſſe,quaſi retribuatur eis hac parte, quod è ſuperioribus eſt detractum. ac ſi quis eorum vitæ breui fuit vſura,regionibus tamen ampliſſimis idem ſit dominatus. cognoſcet enim, qui comparare volet inter ſe, quæ veniunt in diſceptationem,& hac in re mendaciis præſtare veritatem, ſincerumq. imperium tectoriis inanibus virtutis adopertæ. Et quidem Romanæ ditionis confinia fuere olim longè pertinentia, neque illi eſt vlla è prioribus conferenda. quod perſequitur

Dionyſius Halicarnaſſeus initio hiſtoriarum ſuarum. Inter A
Imperatores autem Romanos nemo latius imperauit, breui licet tempore, quàm Traianus, qui dictus eſt optimus omniũ fuiſſe. in ſuam namque ille poteſtatem adduxit Perſicorum Regũ, ſiue Parthorum ditiones, ſed exiguo temporis curriculo eas tenuit, vt non longè ab hac amplitudine abfuerint Antonini, & Alexander Mammeę, qui glorioſas è Perſis victorias retulerũt. Verùm ſuperauit hos omnes Cõſtantinus meritò Magnus, qui non modo Britannias totas, antea non omni ex parte deuictas à Romanis tenuit, ſed etiam Sarmatiam, Scythiamq. impoſito tributo ſubegit, vt iure fuerit hoc illi monumentum in Vrbe B
excitatum.

D. N. CONSTANTINO, MAXIMO, PIO, FELICI, AC TRIVMPHATORI SEMPER AVGVSTO OB AMPLIFICATAM TOTO ORBE REMP. FACTIS, CONSILIISQ. S. P. Q. R. DEDICANTE C
ANICIO PAVLLINO IVNIORE V. C. CONSVLARE PRÆFECTO VRBIS.

Neque illo minor fuit Theodoſius & ipſe Magnus, quod Oroſius lib. 5. cap. 34. & Pacatus in Panegyrico tradunt. Sed hac de re tota nos egimus libro de bellica fortitudine Catholicorum fuſius, ac diſtincte, & nihil omiſimus intactum, quod poſſet ad eam facere. explicauimusq. poſt Conſtantinum quidem nullos D
in Orbe latius, quam Chriſtianos dominatos vno ex ipſis, aut etiam duobus plerumque imperium Romanum moderantibus vſque ad Occidentalis imperij caſum. Inde Orientales Imperatores imperij magnitudine cunctis anteceſſuerunt vſque ad Caroli Magni ætatem; ex hoc enim Imperatores, ac Reges Occidentis nullis ceſſerunt, plurimos ſæpius vicerunt. Oſtendimus etiam, quàm latè tum noſtri, tum verò à nobis diſſentientes imperarint. neque id modo, ſed quandiu ſteterint vtraque

A imperia, vt perſpici dilucidè poſsint; veritatis amatores, quales præ cæteris noſtri fuerunt, & amplioribus terrarum confinibus potitos, ac tempore diuturniori dominatos. vt de illis verè dictum videatur.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono
Imperium ſine fine dedi.

Quin idcirco imperia à nobis aliena ſunt amplificata, quod aliquæ nationes à veritate Catholicæ religionis deſciuerint, atque ob id fuerint oppreſſæ ab exteris, & ſub imperium miſ-
B ſæ ab ipſis. quod ſimiliter nos explicauimus ſigno de interitu fidei, & infelicitate hæreticarum nationum. Nunc ſatis eſt nobis indicaſſe nullum maius imperium contigiſſe exteris vllis, quam noſtris; cum tenuere vtrumque Occidentale ſcilicet, atque Occidentale, vt Conſtantinus, Iouinianus, Valentinianus, Gratianus, Theodoſius ſenior, ac iunior, Leo Primus, & aliquot alij, quibus ſuccedunt Imperatores Orientis vſque ad Michaëlem Paleologum, quorum plurimi nobiſcum ſenſere, inde à Caroli Magni ætate Occidentis, poſtea Germanici Reges, & Imperatores, quibus adiungi poſſunt
C aliquot Tartarici, qui noſtræ religioni adhæſerunt, Denique noſtro hoc ſæculo Luſitanici, & Hiſpanici, quibus tertia propè Orbis pars eſt ſubiecta, & ab anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo maxima incrementa ſumpſere, cum tamen exordium tāti imperij multo altius repeti poſsit, vt ibi oſtendimus, ne toties eadem reſcribentes, actumq. agentes inutili ſcriptione nos, ac lectores oneremus.

Ex his verò omnibus, quæ hucuſque diximus, patet, reuera nullam ſimulantibus virtutum partem felicitatis eſſe, quæ ipſos attingat, vmbram, atque imaginem tantum, veluti &
D virtutum ipſi vmbram, atque imaginem præferunt. Neceſſariò namque beatitudo vel pertinet ad obitum, & quantum ſpectat ad illum, ſunt omnes iſti interempti, vel ad vitæ longitudinem, ac breuis, exiguaque ipſis fuit, aut ad regnandi fructum, ac ſæpius acti in exilium vixere in magnis miſeriis, aut etiamſi regno ſint potiti ſemper maximis ſunt timoribus exigati, varijsque ærumnarum euentibus afflictati, perpetuis ſuorum diſsidiis, ac bellis, conſanguineorum feraliſſimas cædes experti. Quod ſiqui ad altius proſperitatis faſtigium

gium ſunt eucẞi,ruinam ducentes, alliſi ad terram, contritiq. A
miſerrimum ſui ſpectaculum poſteris exhibuerunt, neque ita
elata, vt ſinceri virtutum Cultores, imperia, neque ita diu-
turna poſsidentes. Atque hæc quantum ad ipſos.
Nunc inſpiciamus, quantum ad ipſorum poſte-
ros, gentes, terraſque ſubiectas, & glo-
riam, famamúe; quæ ſolet
obitum ſequi.

Libri Primi Finis. B

IMPE-

IMPERIA PENDERE A VERIS VIRTTIBVS,

B NON A SIMVLATIS

L I B. II.

ADVERSVS MACCHIAVELLVM.

C

Reges virtutis ſimulatæ cultores perpetua poſt obitum ſunt infamia notati. *Cap. I.*

SI quis mortalium laudem popularem captat, & gloriæ deſiderio rapitur inflammatus, nihil eſt, quod magis debeat auerſari, & odiſſe quàm figmēta, nihil quod magis amare atque amplecti, quàm veritatem. Nam recte Aſchi-
D nes contra Timarchum οὕτως ἰσχυρὸν ἐστὶν ἀλήθεια, ὥστε πάντων ἐπικρατεῖν τῶν ἀντρωπίνων λογισμῶν. adeo potens eſt veritas, vt omnes ſuperet humanas cogitationes. Quamobrem videmus ad extremum nihil non occultum detegi, ac tum, cui nam vera laus debeatur, aperiri. Et quis quæſo non execratur Annibalis perfidiam? quis non Punicam fidem? quis Aſſyriacos illos Reges, ac Perſicos, quicumque delitiis effæminati videri tamen Regijs meritis, ac virtutibus inſignes aut volebant, aut contendebant? Videre Græci,

quanti

quanti eſſet laus ad officia virtutum præſtanda, atque idcirco in conuiuiis maiorum præclara facta canere, & celebrare ſolebant, præcipuè vero Spartani, qui ſolidam bonitatem præ cunctis aſſequi conabantur, quod in vita Lycurgi Plutarchus refert. Vbi Rex aliquis Ægyptiorum moriebatur, ſacerdotes ac populus vel eum pro meritis celebrabat, vel eius malefacta vituperationibus debitis proſequebatur, quod erat id cauſa, vt in officio cuncti permanerent. id narrat Diodorus antiquarum rerum lib. 1. cap. 3. Quocirca cum Cheopes, ac Chephrenes Tyrannicè per centum ſex annos regnaſſent, populus effoſſa eorũ cadauera, ac cineres diſsipauit, dignosque, qui neque nominarentur ab vllo iudicauit. quis autem, canit ille. A B

—aut Euriſthea durum,
Aut illaudati neſcit Buſyridis aras?

Sardanapalum nemo ignorat infamia perpetua notatum, ita vt quicumque ſit effæminatus, ac delicijs deditus, Sardanapali nomen gerat. Verum quando extera non ſunt ſcriptores noſtros nacta, qui fuſius à Regibus alijs geſta recenſeant, idcirco præſtabit afferre, quot modis ac quibus Imperatores Romani fuerint ad ignominiam ſempiternam lacerati. nam quales in Cæſarem verſus à militibus, & populo publicè canebantur? pudet eos referre, ne ſpurcis huiuſmodi dictis vllus inquinetur recitat Suetonius. cap. 49. & 51. eodem modo, quæ in Octauium iure pronunciabantur habet idem cap. 68. Illud aſcripſiſſe, quo impietas eius habitu Deorum, Dearumque cum ſuis conuiuis diſcumbentis, notatur, non pigebit. C

Cum primum iſtorum conduxit menſa choragum
Sexque Deos vidit Mallia, ſexque Deas.
Impia dum Phœbi Cæſar conuiuia ludit, D
Dum noua Diuorum cœnat adulteria.
Omnia ſe à ſeruis tunc numina declinarunt,
Fugit & auratos Iuppiter ipſe thronos.

Quid hic de Tiberio diſſeramus, de quo ſic idem ſcriptor cap. 75. morte eius ita lætatus eſt populus, vt ad primum nuncium diſcurrerent, pars terram matrẽ, Deosque manes orarent, ne mortuo ſedem vllam niſi inter impios darent, alij vncum, & Gemonias cadaueri minitarentur. In obitu Caij, quidã ſen-

A ſententiæ loco abolendam Cæſarum memoriam, ac diruenda templa cenſuerunt. Notiora ſunt, quæ de Nerone probra, ac dedecora memoriæ prodita fuerint, quàm vt ſit neceſſe ea referre. quin pudori conuenit omnino ea præterire. Denique vſque ad Conſtantinum cum plurimos ſupra Imperatores memorauerimus, paucisſimi fuere, qui laudem bonorũ ferant à ſcriptoribus, qui non multis nominibus proborum notentur, eorumq́. dedecus poſteris aperiatur. ſic enim Vopiſcus. Vides quæſo, quàm pauci ſint principes boni, vt bene dictũ ſit à quodã mimico ſcurra Claudij huius temporibus, in vno annulo bonos B principes poſſe perſcribi, atque depingi.

At contra quæ ſeries malorum? vt enim omittamus Vitellios, Caligulas, & Nerones, quis ferat Maximinos, & Philippos, & illam inconditæ multitudinis fœcem? Hæc ille. Iulianus ipſe Imperator, quamuis faueat, quantum poteſt, omnibus, qui à nobis alieni fuerunt, nihilominus quoddam Deorum concilium, cõuiuiumq́. fingit in ſuperis locis, ad quod aduocentur omnes, qui ante ipſum Romani imperij gubernacula tractarũt, & omnes ingenioſè, maledicè tamen mordet, ac proſcindit. ita vt neminem relinquat illæſum, neq; ſit cuius fama non carpatur, C ac dilanietur. ſic igitur poſt obitum cunctos ignominia eſt ſecuta. Et tamen illis nulla maior cura fuit, quàm vt apud omnes in omnium maximo honore eſſent; idcirco in Deos referri, templa ſibi erigi, ſacrificia, ſacerdoteſq́. inſtitui vel iuſſere, vel quoquo modo procurarunt. Hinc Diui appellabantur. Verum conatu irrito, ac ridiculo omnia. Vbi namque nunc illa? datũ fuit aliquid auribus, & oculis viuentium. Magna, inquit Cicero, pro Celio, vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatẽ, ſolertiam facile ſe per ſe ipſa defendat. Poſt interitum cuncti irriſi, contumeliis pleriq; omnes onerati, & magno cum dedeD core ipſorum memoria poſteris eſt relicta.

En tibi Galba Neronis ſucceſſor. occiſus eſt à ſuis. caput amputatum, præfixumq́. haſta cum ludibrio circum caſtra eſt delatum, clamantibus militibus, Galba cupidè fruaris ætate tua.

Quid autem Vitellio contigit. Audi Tranquillum cap. 17. religatis poſt terga manibus iniecto ceruicibus laqueo, veſte diſciſſa ſeminudus in forum tractus eſt, inter magna rerum, verborumq́. ludibria per totum viæ ſacræ ſpatium reducta coma à capite, ceu noxij ſolent, atq; etiam mẽto mucrone gladij ſubie-

ĉto, vt viſendam præberet faciem, neue ſubmitteret, quibuſdam A
ſtercore, & cœno inceſſentibus, alijs incendiarium, & patinarium vociferantibus, parte vulgi etiam corporis vitia exprobrante tandem apud Gemonias minutiſsimis ictibus excarnificatus, atque confectus eſt, & inde vnco tractus in Tyberim.

Defuere hæc Domitiano, ſed tamen eius obitu Senatus adeo lætatus eſt, vt repleta certatim curia nõ temperaret, quin mortuum contumelioſiſsimo, atque acerbiſsimo acclamationum genere laceraret: ſcalas etiam inferri, clypeoſque, & imagines eius coram detrahi, & ibidem ſolo affigi iuberet. nouiſsimè eradendos vbique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret. B

Ne verò idem propè fieret in Adrianum prohibuit Antoninus ob id Pius dictus. alioquin Senatus, inquit Lampridius, acta eius irrita fieri volebat, & in mortuum à multis multa ſunt dicta.

Quàm multa autem fuerint à Senatu, populoq. aduerſus Cõmodum decreta, qui volet cognoſcere, legat eundem ſcriptorẽ, qui multis illa commemorat. nam corpus eius, vt è ſepulchro erueretur, vncoq. tractum proijceretur in Tyberim, cuncta illius monumenta delerentur cẽſuit populus, ac Senatus ſingula C
ipſius ſcelera recẽſens, & ad ſingula acclamans, vnco trahatur.

In Caracallam multa ſimiliter à Senatu dicta, atque in eius odium Caracalla dictus eſt, ac Tarantis, ait Dion, quod nomen erat gladiatoris deformiſsimi, perexiguique, ac nefarij hominis.

Ventum eſt ad Heliogabalum, de quo ita Lampridius, in cũ impetus factus eſt, atque in latrina, ad quam confugerat, occiſus: tractus deinde per publicum, additaq. iniuria cadaueri eſt, vt in cloaculam milites mitterent. ſed cum non cœpiſſet cloaca fortuitò, per pontem Æmilium annexo põdere, ne fluitaret, D
in Tyberim abiectum eſt, ne vmquam ſepeliri poſſet. Tractum eſt cadauer eius etiam per circi ſpatia, priuſquam in Tyberim proijceretur. nomen eius, ideſt Antonini eraſum eſt Senatu iubente, remanſitq. Varij Heliogabali: ſiquidem illud affectato retinuerat, cũ vellet videri filius Antonini. Appellatus eſt poſt mortem Tyberinus, & tractitius, & impurus, & multa, ſiquando ea erant deſignanda, quæ ſub eo facta videbantur; ſoluſq. omnium principum tractus eſt, & in cloacam miſſus, & in Tyberim præcipitatus.

A Quid autem de Maximino dicemus, qui, ſcribit Capitolinus, tam crudelis fuit, vt illum alij Cyclopem, alij Buſiridem, alij Scironem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem, vel Gygem vocarent. & mox. Maximini nomen eraſum, nunc animis eradendum. hoſtis publici caput in profluentem abijciatur, corpus eius nemo ſepeliat.

Omittimus hic Valeriani, Gallieni, Aurelianique, & Carini dedecora. nam quæ de Maxentio dicta ſunt probra, ac vulgo ſemper iactata, ſcriptores, in queis Zozimus, apertè teſtantur. illud nobis erit ſatis adduxiſſe, quod in foro adhuc Romano B poſt annos mille ducentos octuaginta, ac plures inſcriptum cunctis apparet.

RESRITVTORI VRBIS ROMÆ,
ATQ. EXTINCTORI PESTIFERÆ
TYRANNIDIS.
D. N. FL. IVL. CONSTANTINO
VICTORI, AC TRIVMPHATORI
C SEMPER AVGVSTO.

Hæc igitur encomia ſequuntur improbos, hæc monumenta poſt mortem.

Nunc oculos mentis aduerte ad eos, qui non inane virtutis ſimulacrum, ſed ex animo ipſam rem ſunt amplexati, qua gloria poſt obitum nunc illi potiantur, quibus illuſtrentur honoribus. ac ne temere aliquid videamur effutire. Scimus ab Imperatoribus iſtis plurimos Chriſtianos variis tormentis excruciatos, ac denique crudeliter interfectos. Numquid verò cum ſummis viribus contenderent, vt omnis ijs honor auferretur, D ſibi omnis daretur, quidquam maximi Imperatores aduerſus homunculos tenuiſsimos profecerunt? ſimulatq. illis eripuerũt vitã, decreti cæleſtes ijs veluti ſuperis honores ab Eccleſia Catholica tota Orbe cognito diſperſa, dati per annos mille, ac trecentos, pluresúe, aut pauciores, prout ſiue antea, ſiue poſtea ſunt interempti, dati celebritatibus anniuerſariis à quibuſlibet nationibus (quando ad Eccleſiam Catholicam cũctæ nationes conceſſerunt) in quauis Orbis peruij regione, dati in modum ſupplicem, & humillimum, ita vt innumeri, ac potentiſsimi Reges, Imperatores, ac Pontifices acciderint ad eorum ci-

neres, ad eorum memoriam, vultu ad terram demiſſo adorauerint, ſupplices manus tetenderint. duratq́. adhuc tanta exiſtimatio, tantum decus. verè ſcilicet à Venuſino dictum. A

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Intaminatis fulget honoribus;
Nec ponit, aut ſumit ſecures
Arbitrio popularis auræ.
Virtus recludens immeritis mori
Cælum negata tentat iter via,
Cætusq́. vulgares, & vdam
Spernit humum fugiente penna.

B

Vt autem magis admiremur diuinam prouidentiam, quicũque Imperatores, ac Reges magis fuere aut ſanctiores, aut catholicæ veritatis magis ſtudioſi, eorum nomina ad ſucceſſores magis tranſierunt, ac licet aliqui nomen adſumptum dedecorarint, multi tamen, & maximè, qui pios imitati ſunt, regna auita auxerunt; quaſi Deus voluerit ſanctioris, ac religioſioris nomini maiores reſeruari honores in omnibus rebus. exempli gratia Conſtantinus Orientale imperium fundauit, & omnium maximè auxit Catholicam pietatem, ac Pontificiam ſedem. C Huius nominis plures in Oriente numerantur Imperatores, quam cuiſuis alterius. nonnulli recenſent quindecim. Poſt hos ſequuntur, qui Michaëlis, demum qui Leonis nomen ſumpſere, quorum primus Leo Magnus eſt appellatus.

In Occidente autem, ſi Gallica regna ſpectemus, Ludouici plures fuerunt: quorum primus Clodoueus, qui Francis omniũ primus Rex Chriſtiana ſacra dedit, cui nomen idem, quod Ludouici eſſe volunt, Huius nominis duodecim numerãtur, in his Ludouicus Sanctus. Poſt hos erunt, quibus Caroli nomen fuit, D è quibus nouem. primus Carolus Magnus.

In regno Germanico Henrici ſeptem fuere, neq; alterius nominis totidem. in his Henricus Imperator primus, Rex autem Germaniæ ſecundus ſanctis adſcriptus. Hos ſequuntur Caroli quinque.

In Anglico numerant Edoardos nouem, primus eſt filius Elfredi, qui Romã profectus ab Hadriano Secundo eſt coronatus, ſecundus eſt martyr, ac ſanctus, tertius item ſanctus, qui priuilegium ſanandi ſtrumas ad poſteros tranſmiſit; inde quartus

Henri-

A Henrici tertij filius,quem vocant alij primum. Poſt Eduardos ſunt Henrici octo, ex his laudatiſsimus quintus, de quo ſic Polydorus Virgilius, fuit vnicum id temporis decus,& lumen patriæ, quo nemo vir animi celſitate, & magnitudine, ac virtute clarior natus,nemo pietate præſtantior, cuius deſiderium etiã nunc apud mortales pariter permanet,atque à principio apud ſuos fuit. nam vbi per vulgus fama mortis eius peruaſit, cuncti generatim ſubito dolore cõciderunt,quibus ita mœror omnes ferè mentis partes ademit,vt more inſanientium paſsim fortunam incuſarent,quæ tantam gloriam patriæ inuidiſſet, nimirũ
B Regis immatura mors quantũ potiundi Francorum regni Anglis ademit,tantum recuperandæ libertatis ipſis Francis fecit. Hęc ille de Rege Henrico quinto,qui Pariſiis occupatis,ac magna Franciæ parte, eius Regens eſt appellatus. Poſt quintum ſeptimus præcipuè laudatur à Polydoro his verbis,ingenio magno,ſagacique,& à litteris non alieno, animo excellenti,atque forti,in ſummis quoque periculis, & naturæ ipſius habitu propè diuino. res conſulto,grauiterq́. gerebat, quò ſuæ prudentiæ opinio per hominum animos facilius peruaderet : quippe non ignorabat ſuam vitam multorum oculis obſeruari, atque ob id
C principem oportere tantum alijs ſapientia antecædere, quantum potentia præſtet. etenim quis illi quidquã tribuerit, cuius leuitatem expertus eſt? erat pręterea moderatus,honeſtus, frugi,comis,& benignus, & adeo ſuperbiæ, atque arrogantiæ abhorrẽs,vt in huiuſmodi vitiis notatos durus, atque aſper eſſet. & mox. ita viuendo Henricus Rex virtute,fortuna, gloria, rebusq́. geſtis clariſsimus extremum edidit ſpiritum,qui dubitari non poteſt,quin reuerſus ſit in cælum ad eum locum, vbi æuo ſempiterno fruatur: quandoquidem impiger fuit religionis iu-
D xta obſeruator,ac cultor libenter enim rebus diuinis operã dabat, intereratq́. dum fiebant, neque vllo negotio, aut tempore ab eo officio excludebatur, attentè audiebat quotidie binas, ternasúe miſſas, quas vocamus, & ſæpe conciones ſacras, aſsiduè inopibus hominibus eleemoſynas dabat. &.ſacerdotio honorem habebat, illud pie colebat,libens iuuabat, largè augebat. Hæc ille.

In Bohemico quinque Venceslai fuerunt,ex his duo ſancti.

In Hungarico quinque item Stephani, è quibus primus cælitibus aſcriptus.

In Polonico quatuor Cazimiri fuere,primus ſanctus,tertius

co-

cognomentum Magni ob res geſtas tulit. A

In Suetico ſex Erici, inter quos quartus Induardi filius in ſuperos relatus.

In Danico Erici ſeptem, quorum primus Chriſtianã religionem Daniæ dedit, Canuti quinque, inter eos quartus cælitibus annumeratus, ac martyr.

In Luſitanico quinque Alfonſi fuerunt, ac primus Regium nomen poſteris acquiſiuit, ac ſedi Apoſtolicę tributarium regnum fecit.

In Aragonenſi quinque Alfonſi, ac Ferdinandi fuerunt.

In Caſtellano Alfonſi vndecim fuerunt, primus ob pietatem Catholicus eſt vocatus; ſecundus ob admirabilem pudicitiam caſtus. Inde Ferdinandi quinque, tertius, ait Vaſæus, ſanctus habetur, ac multis miraculis clarus, quintus innumera regna ſimul coniunxit. B

Ex his liquet, quam ſit diuini conſilij, vt nomina Regum bonorũ ſint clara, & illuſtria præ cunctis. In ſingulis enim regnis, vt oſtendimus, qui ſanctitate, ac pietate Reges magis excelluerunt, eorum nomina ſunt magis repetita in ſucceſſoribus. Quocirca inter prophanos etiam videas idem plerumque contigiſſe, vt qui minus abfuere à iuſtitiæ norma, eorum nomine poſteri ſæpius fuerint decorati. illudque fuerit clarius, ac magis vſurpatum nomen à poſteris, quod geſſerunt maiores ad bonitatis præſcriptum magis accedentes. Verbi gratia, inter Perſas Artaxerſes longimanus propius abfuit à bonitate, atque huius nominis tres fuere, hic, Memnon, & Ochus. Inter Seleucidas Antiochus Sother, habuit eiuſdem nominis ſeptem ſucceſſores, Deum, Magnum, Epiphanem, Sedetem, Gryphum, Cyzicenum, Euſebium, quaſi iuſtior inter omnes. Poſt hunc eſt Seleucus Nicator cui quinque fuere eiuſdem nominis Reges, Callinicus, Ceraunus, Philopater, Demetrij Soteris filius, & poſtremus Gryphus. C D

Sic inter alios Reges idem plerumque accidiſſe, quod diximus, inſpiciemus, quaſi impellente Deo cuncti in id coirent inſcientes, vt is notior ac nobilior redderetur, qui ex ordine aliquo magis innocens fuiſſet.

Quod adeo verò verùm comprobatur, vt qui iuſtitia maximè fuerint inſignes cunctis ſucceſſoribus nomen iidem ſuum communicarint, veluti, Ptolomæus primus; ac ſecundus Lagi nepos omnibus poſteris Ægypti Regibus, quod fuiſſe omnium

iuſtiſ-

A iuſtiſsimi, memorentur, id teſtatur Diodorus, lib. 17. & 18. Antoninorum cognomẽ, quòd Pius, ac Philoſophus innocentiſsime, ac laudabiliter in primis olim vixiſſent, certatim ſucceſſores arripiebant, ita vt acceptus ille eſſet qui nomen Antonini gereret, quod Lampridius in Diadumeno refert. Quocirca cum Commodus Herculis aſſumpſiſſet, talia in ipſum carmina ſunt ſcripta:

Commodus Herculeum nomen habere rupit.
Antoninorum non putat eſſe bonum;
B *Expers humani iuris, & imperij,*
Sperans quinetiam clarius eſſe Deum,
Quàm ſi ſit princeps nominis egregij
Non erit iſte Deus, non erit idem & homo.

Sed Antoninorum cognomen fuit, non autem nomen. Quamuis hoc etiam pertineat ad laudem, quam reuera inter ſuperiores Imperatores merebantur Pius, ac Philoſophus Antonini.

Quocirca neque Deus abſque aliquo præmio in terris voluit eſſe admirabilem Cæſaris clementiam, cui nemo par videtur C fuiſſe inter omnes Romanę Vrbis Principes viros, quamuis neceſsitate compulſus ad continendos in amore milites interdũ aliena rapi ſiuerit, vbi poterat aliqua adeſſe cauſa, qua permitti id iure gentium quoquomodo poſſet. Quod excuſationem nullam in ipſo habet, eſt illud, quod libidini, ac laſciuiæ deditus fuit, in qua tamen nemini vim ſcribitur intuliſſe. Sed tamen fuit clementiſsimus in aduerſarios omnium, qui Principem locum memorentur in rebus publicis illuſtrioribus tenuiſſe, ac tot, tantaque bella geſsiſſe. hæc autem virtus humano generi maximè prodeſt, amicorum vero idem fuit amantiſsimus. At-D que ob id mirum nemini debet videri, ſi Deus dederit cognomini ipſius aliquid ſplendidius ad claritatem. fuit ille quidem maximè ambitioſus, ſed multo ambitioſiores inimici ipſius qui parem ſibi eum pati non poterant. & apertè multis in locis Cicero teſtatur, Pompeij ſectatores multo atrociora fuiſſe admiſſuros, ſi viciſſent. Atque hæc quidem, quantum pertinet ad Cæſaris cognomen. Auguſti porrò non hominis, ſed honorificentiæ maioris cognomentum fuit. idem namque auguſtus, quod Græcis σέβαστος, ideſt reuerentia ſacra dignus. hinc Ouidius Faſtorum 1.

Sacra

Sacra vocant Auguſta Patres, Auguſta vocantur, A
Templa ſacerdotum ritè dicata manu:
Huius & augurium dependet origine verbi
Et quodcumque ſua Iuppiter auget ope.

Erit itaque Auguſtus idem prope, quod Reuerendiſsimus. Verùm quomodolibet hæc ſint, nullus potuit Imperator efficere, quamuis omnia conaretur; & omnia prope humana in terris poſſet, vt diuini honores ipſi darentur per tot ſæcula, per tot Orbis regiones, quot ac quantos videmus dari, ac datos plurimis homunculis, dum viuerẽt, abiectiſsimis, & qui nullius B pretij exiſtimarentur à potentiſsimis illis Reip. Romanæ proceribus. En tibi ante oculos Petrus, en tibi ante oculos Paulus, alijq́ue, de quibus hic dicit, facti ſumus omnium peripſema vſque adhuc, exiſtimati ſumus tamquam oues occiſionis. An tibi videntur hi nunc deſpecti? Hęc ſcilicet vis veritatis, vt obruta emergat quouis Sole ſplendidior, illuminans oculos humanarum mentium, noctemq́ue ab illis opinionum falſarum diſcutiens, meridiemq́. ſui fulgoris adducat.

Virtutis ſimulatæ cultoribus inania fuerunt gloriæ monumenta; contra bonis. *Cap. II.* C

Operæpretium porro eſt, maximoſq́ue fructus habet iucunditatis intueri, quàm mirãda Reges antiqui, & Imperatores extulerint ædificia, quàm vaſtas moles ad ſui nominis gloriã latè amplificandam, poſteritatiq́ue commendandam. Nunc tantarum Rerum vel nulla veſtigia, vel ignobilia, ac deformia ſine vlla con- D cupitæ laudis aſſecutione. Vbi horti nunc penſiles, muri excelſi, templumq́ue Beli in Babylone? vbi templum Dianæ Epheſiæ, Vbi Ægyptiaca Thæbarum, Pyramidumve miracula? quarum quamuis aliquæ extent, Reges, qui condiderunt, ignorantur. Ne longe abeamus. vbi Amphitheatra, Circi, Thermæ, ac tot, à Romanis Imperatoribus ad ſydera excitatæ moles? Aut ignorantur auctores earũ, aut à pauciſsimis ſciuntur; pleræque diſiectæ, aut etiam ſolo æquatæ. Traianum vocare ſolebat Conſtantinus herbam parietariam, quod innumeri oocurrerent quibusli-

A buslibet parietes,in quibus eius nomen erat inſcriptum. Nunc quot illud in locis inuenies? Rurſus vt omittamus tēpla à Conſtantino poſt annos mille, ac penè tercentum conſtructa, quæ retinent antiquum magnificentiæ ſplendorem,nullus eſt locus, in quo Martyres illi priſci,aut aliquo ſanctimoniæ nomine pręſtantes viri,fęminæúe fuerint ignominia notati,qui nunc haud reſplendeat afferens ijs honores, & quidem maximos, ac cæleſtes. Num fuit vllus Imperator,vllus Rex,qui tot,an tanta tem pla de ſuo nomine dicta habuerit in Orbe terrarum, quot, & quāta exempli gratia Virgo Maria,Petrus,Paulus,Benedictus,
B Dominicus,Franciſcus, alijq. innumeri id genus,qui dum vixere,nihil minus cogitabant, aut quærebant,quàm ſi quid eſt huiuſmodi honoris, ac nullo ipſi loco erant apud ambitioſos, ac ſpecioſis dignitatum titulis ornatos? Rectè igitur Plautus.

Virtute decet vos victores viuere
Non ambitione,neque perfidia. quò minus
Eadem hiſtrioni ſit lex,quæ ſummo viro.
Virtute ambire oportet,non fautoribus
Sat habet fautorum ſemper, qui rectè facit.
C *Si illis fides eſt,quibus eſt ea res in manu.*
Virtus præmium eſt optimum
Virtus omnibus rebus anteit profectò.
Libertas,ſalus, vita, res, parentes
Patria, & Prognati tutantur,ſeruantur:
Virtus omnia in ſe habet,omnia adſunt bona
Quem penes eſt virtus.

Quid hic dicemus illa admiranda, quæ Deus ipſe poſt obitū
D corporibus,ac reliquiis quibuslibet ſanctorum contulit? vt ſæpe ex illis ſplendor extiterit, ipſa incorrupta per plurima annorum curricula permanſerint, agilia fuerint, & penetrabilia. tutatus ſit ea Deus ab omnibus iniuriis aëris, temporū, beſtiarum, mortaliumúe quorumuis, diſſecta, ac diſcerpta membra in vnum collegerit,ac coniunxerit,viuentium vim ſit largitus, vnguenta, liquoresúe aduerſus omne morborum genus valentes ex ijs emanarint? Collegimus hæc omnia nos,ac latè explicauimus libro xv.de ſignis Eccleſię Dei. non eſt opus eadem repetere. Et quis ignorat ad reliquias ſanctorum, quot edantur

quotidie miracula ad vtilitatem generis humani? ſic igitur ve- A
ram virtutem ſequitur ampliſsima poſt mortem gloria, quam-
uis contra contendant omnes homines. In quanto adhuc hono
re habentur loca ſacra Paleſtinæ? elapſi ſunt mille quingenti
ſexaginta anni, numquid ſepulchrum Chriſti non eſt, vt prædi-
xerat Iſaias, glorioſum? Chriſti illius, inquam, ſepulchrũ, qui
natus eſt humili loco, tota ætate vixit humiliter, exiguo vitæ
ſpatio verſatus inter homines, virgis ad ignominiam cæſus, ab
omnibus deſertus, cruci veluti flagitioſus affixus, ſaxo excauato
incluſus, obſeratus, ingloria, & contumelioſa cuncta eſt per-
peſſus. En quanta vis eſt veritatis, quanta ſolidæ, ac diuinæ vir- B
tutis. Et tamen ea loca plerumque in poteſtate fuerunt hoſtili
in ditione illorum, qui noſtra derident, exagitant, proculcant,
& quantum poſſunt ipſi delent. Quis ea tutatus eſt? quis hono-
res illis debitos conſeruauit? Proferantur ſimilia quæſo ab ho-
ſtibus veritatis. Aliquid poterunt. ſed tot, ac tanta quomodo?
Hæc ſcilicet germanæ virtutis præmia vel in terris reſeruata.

Regibus ſimulatæ Virtutis liberorum Regum breuis poſteritas fuit. Cap. III. C

NEQVE verò quiſquam putet Regibus iſtis,
qui inanes vmbras virtutum captarunt, fuiſ-
ſe liberorum regnantium longam ſucceſsio-
nem. Breuis propè omnibus fuit, & quo quiſ-
que minus, magisúe eſt veritatem ſectatus,
eò minus, ac magis diuturna poſteritate do-
minantium ſuorum plerumque eſt donatus.
Ridendum nos alibi oſtẽdimus apertè, quod aliqui falſo, & inep-
te prodiderunt, Aſſyriorum regnum tandiu perduraſſe tradi- D
tum per manus liberis ſuis à ſuis parentibus in eadem cogna-
tione. Vix eſt, vt antiquorum Regum, ſi demas familiam Dauidicam,
gens vlla regnarit ſupra annos tercentum. ſoli Heraclidæ,
niſi fabuloſa credamus quæcumque de illis fabuloſa vetuſtas
prodidit, hoc annorũ ſpatium ſuperauit: Heraclidæ illi ab Her-
cule prognati, qui minus aberrauit à vera virtute, qui tot lau-
dibus effertur in cælum, quod tot monſtra domuerit, tot ferita-
tes, ac tantas ex humanis cætibus depulerit, ac viam ſibi fece-
rit ad genuinum quoddam decus, hoc regnandi ſpatium ſupe-

raſſe

A raſſe memorãtur,ſed exiguo tamen regno potiti,quamuis magno,vt illa tempora ferebant,inter Lydos.

Placet Herodoto in Clio dominatos Lydis Heraclidas annis quingentis,ac quinque. Poſt eos Gygis progenies vſq; ad Cræſum, quem Cyrus deuicit,annis centum ſexaginta imperauit, genus Nabuchodonoſori à Merodacho deductum regnauit Babylone annis centum plus minus. Inter Medos Diocis nepotes imperium vix annos centum quinquaginta tenuerunt. Agnatio Cyri inter Perſas neque annos quadraginta, Darij Hiſtaſpis circiter annos centum nonaginta; quod ſi fœmineũ genus B Diocis per Atoſſam Cyri neptim peruenit ad Darium, dabuntur iſtis anni tercentum octuaginta ſex plus minus. Seleucidæ in Aſia non ſunt dominati ſupra annos ducentos ſeptuaginta. Ptolomæi in Ægypto ducentis viginti ſeptem. Omnis Parthorum poſteritas circiter annos ducẽtos imperauit, Perſicorum, qui Parthos expulere,ducentis viginti quatuor. Inter Mahometanos non fuit vlla proſapia, quæ memorabile aliquod regnum tenuerit ſupra annos tercentum,quæ nos omnia latè explicauimus lib. 23. de ſignis Eccleſiæ Dei.

Illud verò admirabilius, quod obſeruauit Ariſtoteles Politi-C corum lib. 5. cap. 12. nullam Tyrannidem duraſſe ſupra annos centum,quod virtute non innitatur,ſed fraude,ac ſimulatione. Audiamus auctorem grauem. Atqui,inquit ille,omnium gubernationum breuiſsimè durare ſolent paucorum potentia,& Tyrannis. quippe illa, quæ plurimo durauit tempore Orthagoræ, & filiorum,qui apud Sicyonios Tyrannidem habuere ad centẽſimum vſque annum peruenit. durationis verò cauſa fuit,quod mediocritate quadam erga ſubditos vtebantur, multaq. legibus ſeruientes agebant. & quia aptus rei militari fuit Cliſthenes non facilè contemnendus habebatur. plurimum verò con-D ſuetudine, & vſu familiari fauorem, & gratiam hominum ſibi conciliabant. fertur enim Cliſthenes coronaſſe iudicem,qui victoriæ illius contradixerat. Aiunt quidam huius iudicis ſtatuã eſſe illam,quæ in foro ſedet. Piſiſtratus quoque fertur aliquando apud conſilium Areopagi citatus iudicium ſubiiſſe. Secunda verò apud Corinthum Cypſelidarum Tyrannis. nam ea durauit annis tribus & ſeptuaginta, & menſibus ſex. Cypſelus enim ipſe Tyrannidem exercuit annis triginta, Periandrus verò quadraginta quatuor; Pſammeticus autem Gordij annis tribus. cauſa verò durationis eadem fuit, cum enim popularis eſ-

ſet Cypſelus,ac gratia apud multitudinem ſuperaret, ſine vlla A
corporis cuſtodia in dominatione perſeuerauit. Periandrus autem eius filius magis Tyrannicè ſe geſsit, ſed vir erat bello egregius. Tertia Piſiſtratidarum Athenis, hæc autem non fuit continua. bis enim Tyrannide pulſus fuit Piſiſtratus. itaque ex annis triginta tribus ſolum annis ſeptem, & decem Tyrannidē exercuit; filij verò eius annis decem & octo; atque ita omnes ſimul anni fuerunt quinque & triginta. E reliquis verò illa, quę apud Syracuſas fuit Hieronis, & Gelonis, ſed nō longa fuit. hæc namque annis nō amplius, quàm duodeuiginri durauit. Gelon enim cum ſeptem annis Tyrannidem exercuiſſet, octauo defun- B
ctus eſt; Hieron autem decem; Thraſybulus verò menſe decimo excidit. cęterarum verò Tyrannidem pleræq. breui tempore durauerunt omnes. Hucuſque Ariſtoteles; vt cognoſcamus, qui iuſtitia non procedunt, non longè procedere.

Addit aliam obſeruationem Ælianus lib. 6. cap. 13. nullā Tyrannorum Regum poſteritatem permanſiſſe vſque ad quartam generationem. quod nos plurimis, ac nobiliſsimis exemplis ex omni memoria depromptis explicauimus lib. 23. ca. 6. de ſignis Eccleſiæ Dei. & inter alia à nullo Rege Heretico tranſmiſſa regna vltra quartam generationem. Contra verò contem- C
plare Regias Catholicorum Principum familias, quæ ex antiquiſsimo tempore imperauerunt. atque vt ordiamur ab extremis Europæ locis.

Portugallenſium Regum agnatio ab Henrico Comite Biſuntino deducta regnauit annis paulo minus quingentis, longa illi liberorum ſucceſsio, qui vſque ad ætatem noſtram rerum ſunt potiti: defecit agnatio Regum, non autem magnorum Principum, quos priſci Reges vocaſſent. Bragantini enim Duces ex ipſa agnatione Henrici ſunt, quamuis nomen Regiū non oſtentent. neque verò eſt extincta cognatio Regum Portugallenſiū, D
quoad ipſum etiam nomen Regium. Nam Philippus omniū, qui fuerint vmquam, Rex ampliſsimus, è fœmina Regiæ ſtirpis Portugallenſis eſt ortus, vt omittamus multos alios è fœminis eiuſdem gentis prognatos.

Hugonis Capeti gens in Gallia dominatum tenuit ſupra annos ſexcentos.

Egberti agnatio in Anglia conſeruauit Regiam dignitatē, & poteſtatem annis quingentis quadraginta ſex.

Donaldi in Scotia perſtat iam ſupra annos 843.

Bori-

A Boriuorij in Bohemia vltra annos quadringentos.

Priuſti in Polonia quingentis ac viginti annis imperauit.

Verumenimuero nullius Regis Catholici paulo illuſtrioris fœmineum genus interiit, ſed perſiſtit adhuc in maximis Regibus, & Principibus, quod nos aperuimus lib. 21. cap. 1. de ſignis Eccleſiæ Dei. quin omnium Regum Catholicorum familiæ per fœminas propagatæ ita inter ſe cohærent, vt vigeant adhuc in omnium potentiſsimis Regibus initio ducto à Burgundionum Rege Gundicario, qui Chriſto nomen dedit anno 428. poſt annos iam mille centum ſexaginta quinque, vt tum loco adducto,
B tum lib. 25. cap. 19. fuit à nobis explicatum. Sed & omniũ ſuperiorum proſapiæ multo altiorem Regum vetuſtiſsimorum originem cient; nos tamen ex eo tempore nominauimus, ex quo Chriſti religionem ſequi cœperunt. Alioquin Regum Danicorum cognatio regnaſſe memoratur iam inde à temporibus primis Auguſti vltra annos mille ſexcentos. Quod ſi Baſilius Macedo ab Arſace, vt vult Curopalates habet ortum, perpetuataq. eſt ſtirps eius in noſtris, vt alibi aperuimus, ſine dubio ſuperat illa gens mille ſeptingentos annos. Fabuloſa autem videntur hæc, quæ narrãtur de gente Baſilij, ſicut pleraque antiquorum,
C aut quæ Æthiopici Reges, qui noſtri aliquando fuere, Hungarici, & alij nonnulli de ſuis maioribus ex antiquiſsimo tempore dominantibus nimium vel magnificè, vel ineptè iactant.

Iam verò inter Imperatores Romanos nemo fuit, qui vltra nepotes agnationis imperium tranſmiſerit. quin nulla cognatio regnauit annis centum, catholicis ſcilicet ſemper exceptis, qui ad abnepotes, ac longe vltra tranſmiſere imperium, veluti Carolus Magnus, Rodulphus Habſpurgenſis in Occidente, Baſilius Macedo in Oriente, vt docuimus latè adductis locis.

Sic itaque euidentiſsimè apparet, quanta ſit hac parte veri-
D tatis, ſolidæq. virtutis vis, ac fructus, & quàm ſine vllo fundamento, ac ſtabilitate ſint imperia, ac regna, quæ genuina iuſtitia non innituntur, ac verè à Propheta dictum: Niſi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.

Regum

Regum ſimulatæ virtutis nepotes mutuis ſe cædibus ad internecionem miſerrimè abſumpſerunt cum tota familia ſua. Cap. IIII. A

FVneſtiſsimum, ſi quid excogitari poteſt, illud
merito cunctis videbitur, poſteros iſtorum
Regum mutuis ſe cædibus miſerabiliter ab-
ſumpſiſſe, aut alioquin in apertiſsimas cædes
communi conſilio ſe ſe induiſſe. En tibi Sar-
danapalus Aſſyriacorum Regum poſtremus B
vnà cùm ſuis vxoribus, ac ſiquid habebat po-
ſteritatis in flammas, regumque ardentem ſe ſe coniecit.

Sennacheribus à doubus filiis in templo interfectus cum ſua familia periit.

Euilmerodachus filius Nabuchodonoſori è Nigliſſaro ſororis ſuæ marito necatus, huius autem filius Laboſardachus à Nabonito nepote Nabuchodonoſori, qui Balthaſar videtur eſſe diuino ſcriptori, à Cyri militibus occiſus.

Notiſsimum cunctis eſt ab Artaxerſe Ocho omnem ſuorum
regiam ſtirpem ſublatam, eius filius Arſes cum liberis ab Eunu C
cho Bagoa, ſuperſtes Darius à ſuis cognatis, atque ita finis eſt
impoſitus Regum Perſicorum poſteritati.

Philippo ſecundo Macedonum Regi ac patri Alexandri Magni ſcimus vitam ſublatam dolis Olympiadis Alexandri matris, quæ ſimiliter duo priuignos Caſanum coniecit in æneam peluim, flammiſque circundatum diriſsimè trucidauit, Arideũque excarnificari à ſpeculatoribus Thracibus mandauit.

Alexandri vxor Roxana cum filio, eiuſdemque proles Her-
cules cum Antine matre Caſſandri inſidiis occiſi, qui Theſſalo
nicam Alexandri ipſius ſororem habebat in matrimonio. D

Numquid autem felicius fuit Caſſandri liberis è Theſſalonica hac Alexandri ſorore ſuſceptis, qui Macedoniæ regnum cũ multis aliis locis tenuere?

Antipater Caſſandri filius matrem necat, ipſe à Socero Lyſimacho vnà cum fratre Alexandro eſt interemptus, atque ita Caſſandri gens euanuit, ſucceſsitque in Macedoniæ regno genus Antigoni, è quo Perſeus Demetrium fratrem per ſummũ ſcelus inſimulãs apud patrẽ Philippũ peruicit, vt necaretur, ipſe cũ filiis captus, & in triũpho Romã ductus obiit in cuſtodia.

De

A De Seleucidis, Parthis, Ptolomæisque ſupra eſt à nobis dictū, quod argumenti eſſe præſentis poteſt.

Nullis tamen nationibus feritas maior in exſcindenda ſuorum progenie, quam Mahometanis, quo circa diu numquam potuit vllus Rex inter eos imperium tranſmittere ad nepotes vſque ad Aaronem, qui Carolo imperante vixit, nam mutuis ſe bellis atterebant agnati omnes; ita vt Habdalla Seffec Aaronis nepos funditus perdere ſit conatus omnē ſtirpem Hali maioris ſui perpetua exercens bella aduerſus Muhamat fratrem, donec interemptis penè omnibus iſtis Regibus Turci ad ſe om
B nia Orientis regna tranſtulerunt, quibus poſtea per noſtros in expeditione ſacra fractis, Saladinus natione Curdus latè dominari cæpit, cuius poſteris diſsidentibus Mamalucchi in Ægypto ampliſsimas ditiones tenuerunt, qui non hæreditario, ſed electionis iure ad principatum vocabantur, ac ſublati fuerunt ab Otthomanis Selymo Rege.

Vt autem redeamus ad Mahometanos cum Tartari Turcos in ſuam poteſtatem adduxiſſent, eisque omnia in Oriente ademiſſent, & ipſorum Reges fratribus & cognatis inter ſe præliantibus ad nihilum ſunt mutuis cædibus redacti. Nam Pa-
C iamgures Tamerlanis ſoboles fratrem Abdulatriphem tenuit in vinculis; eius filius Troches Paiamgorem fratrem deiecit.

Poſtea verò VſſumCaſſanus Turca maximum ſibi, ac ſuis in Media, Perſiaque imperium parauit, eius autem filius Iacobus ab vxore dato veneno eſt interemptus. Diſsidiis hiſce fretus Iſmaël Sophus eorum Sobrinus Alamutum ſobrinum regno, ac vita ſpoliauit, matrem quinetiam ſuam morti dedit, huius progenies Thammas duos fratres Eliam, Samumque ſuſtulit. Thammæ verò ſoboles Iſmaël octo fratres occidit, ipſe Periaconchonæ ſororis veneno eſt interfectus, Periaconchona à fra-
D tre Cadabanda, qui nunc rerum potitur.

Nemo autem, credo, ignarus eſt, vt inteſtinis ſeſe cædibus Otthomanorum nati trucident, & putamus breui ad interitū non venturos? fieri id nullo modo poteſt. Deletas cognoſcimus plurimas inter Mahometanos Regum familias longè anguſtiori temporis ſpatio, quod nos cum ſuperioribus oſtendimus libro 23. & Otthomannicæ gentis interitus appropinquabit.

Idem porro Oſtrogotthorum Viſigotthorum, ac Vandalorum Regiis proſapiis accidiſſe, vt ſe inteſtinis cædibus abſumpſerint aperuimus ſigno 53. Vt iam meridiana luce clarius appareat,

pareat, quod aſſeueramus, contemplemurque dilucidiſsimè ve A
ritatem ſibi vndique conſtare, vniuſmodi eſſe ac ſimplicem, proptereaq. nihil ex illà minui, & iuterire, diminutio namque, & interitus à contrariis contingit, at mendacium, cum ſemper abeat in diuerſa, & contraria, neceſſe eſt concidat, atq; euaneſcat, è repugnantibus enim conflatur; quæ ruinam neceſſariò rebus ac ſectatoribus adducunt. ac verè Theognis.

Ἀρχῇ ἐπεὶ ψεύδοις μικρὰ χάρις, εἰσδὲ τελευτὴν
Αἰσχρὸν δὴ κέρδος, καὶ κακὸν ἀμφότερον.
Γίνεται οὐδέ τι καλὸν ὅτῳ ψεῦδος προσομαρτῇ B
Ἀνδρὶ, κἂν ἐξέλθῃ πρῶτον ἀπὸ στόματος.

Initio mendacijs exigua gratia. ad extremum verò
Turpe lucrum; & malum vtrumque.
Neque quidquam boni accidit, cuicũq; mendacium adhæret
Homini, cum exierit primum ab ore.

Populi ſimulatam virtutem ſectantes deleti; regiones ad vaſtitatem redactæ. Cap. V.

PROCEDAMVS tamen, & quando vidimus ſimulatoribus iſtis, dum viuunt, nihil boni præcipui contingere, poſt obitum verò notari infamia perpetua, atque inania eſſe ipſis virtutum monumenta, breuem nepotum poſteritatem, quæ ſe inteſtinis cædibus dilaniet, contẽplemur, an ipſis populis, qui talium ſubiiciuntur imperio, eorumq. terris eueniat aliquid boni. Eueniatne aliquid boni ſubiectis à Regibus, qui ſumma vitia virtutis occulere, & operire cõtendũt? qui falſa pro veris, inania pro ſolidis, D
damnoſa pro vtilibus venditant? An quiſquã ſuſpicetur aliquid honeſti, iucundi, ac fructuoſi elicere, vel extorquere ab illis, qui idcirco mentiuntur, vt rapiãt, vt quidquid poſſunt in ſuos vſus, in ſuam rem conuertant? An non vidimus ſupra, quanta malorũ congerie obruerentur Romani, Itali, & cuncti Romano imperio ſubiecti, cum regnabant iſti perſonati.

Annibal perfidi cognomentum tulit, Alcibiades ſimilitudinem Chamaleontis, qui ſe in varios colores immutet, ecquid vtilitatis attulerũt patriis hi ſuis? quanta dãna? quãtas clades?

Reges

A Reges Vandalorum cõtra omnem pactionem, fœdus omne, omnem fidem, quàm ſæpius dedere, ſæpius violarunt, Africã Romanis Imperatoribus eripuerunt, ac tenuere ſupra annos centum. nihil illis ad felicitatem, quod ſupra aſſerebamus, deeſſe videbatur. Numquid Regũ perfidia Vandalis profuit? numquid aliquid diuturnioris boni attulit? ſæculũ durarunt. Videamus, quò peruenerit iſtorum perfidia? quò doli, ac malę artes euaſerint, exterminati omnes, atq; deleti. pauci ferro ſuperfuerunt abducti in ſeruitutem.

Miſerabilior Oſtrogothis fuit ruina, quorum ſtatus, ac vita

B neque ſæculi ætatem potuit pertingere. omnes attriti, ad nihilũ redacti violatæ à Regibus ſuis fidei pœnas dederunt.

Idem conſtat de Herulis, qui contra ius omne, ac pactũ Rege Odoacre Italiam cœperunt, & aliquot annis imperio tenuere, vbi nunc quæſo ſtirps eſt vlla Herulorum? nomen ipſum tot, ac tantarum gentium vix ab aliquibus ſcitur. multò autem minus Turcilingorum, qui adiuncti Herulis aduerſus omnem conuentionem, legemq́. inuaſerunt Italiam, fœdiſsimoq. dominatu oppreſſerunt. Cunctæ iſtæ nationes olim celeberrimæ, ac feliciſsimæ ſunt à Iuſtiniani ducibus ad internecionẽ deletæ, Ita-

C li ſuperfuerunt, ac ſuperſunt tantis cladibus, tantis iniurijs tẽporum, vt è Procopio, qui rebus ipſis interfuit, habemus. Hic ſcilicet eſt infidelitatis fructus, hic artium malarum, fraudũq. finis. Quot olim nationes in Italiam ſe ſe effuderunt nullo iure, ſummo ſcelere? Eas nos docuimus libris de antiquo, & nouo Italiæ iure exterminatas, extinctas, nullo ſuperſtite mortali ad interitum perductas.

An tibi placet punica Chartaginenſiũ fides? An non illi omnes ferro, ac flammis abſumpti nullos reliquerunt nepotes, qui vel vnam familiam ad ſuſtinendum nomen illuſtriſsimæ gentis

D tuerentur? An non dolus, ac ſimulatio extremæ illis ruinæ fuit?

Attila Hunnorum Rex Aquileiam ſubuertit, tenues illius, ſed aliquæ tamen adhuc reliquiæ ſuperſunt. illius coloni Roma deducti, quàm nobilem Ciuitatem condiderunt? In oculis ſunt Orbis totius Venetiæ, patritij Veneti, quorum nonnulli audent ſe ex antiquiſsimis Romanis ortos aſſerere, ſicut etiam multi, qui Romæ cognomina priſca conſeruantes à vetuſtiſsimis ſe familiis haberi prognatos omninò contendunt. & ſanè ab exteris non videntur orti, cum ſciamus ſolos Longobardos ſuperfuiſſe ex ijs nationibus, quæ poſt ætatem Conſtantini irruperũt

N in Ita-

in Italiam, reliquæ omnes extinctæ, ac deletæ. Neque verò ſicut Romani Gallos Ciſalpinos ad interitum deduxere, vt aperuimus, ſic Longobardi colonos Roma deductos, & quicumque ijs deinde adiuncti in Vrbibus circumpadanis conſedere, vt è Paulo Diacono, qui genere Longobardus fuit, apparet; nō enim gentes priſcas iſti peremerunt, vt à Romanis eas, quæ fuerunt ante ipſos, legimus extinctas. Quid autem dedit internecioni Numantiam cum ſuo populo in Hiſpania, quid tot Vrbes, quas euertiſſe dicitur Gracchus, niſi fides ſimulatè data, ac prętextu iuſtitiæ doloſè fracta? Quid tot, ac tantas Vrbes, quas receſuimus lib. & cap. 1. de antiquo, & nouo Italiæ ſtatu, niſi plerumque admiſſæ contra ius omne fraudes, perpetrata prætextu iuſtitiæ flagitia? Sed quando in obſcuro latet, qui nunc mortales originem trahant ab antiquis, quiúe funditus deleti, vel qui remanſerint ex illis, ex alio poſſumus dignoſcere, interitum populorū naſci à vitiis ſimulatæ virtutis velo coopertis. Nos enim ſigno de interitu fidei latè oſtendimus; idcirco à nonnullis barbaris irruptionem factam in multas, quæ à Catholicis olim poſſidebantur, regiones, quod illæ plenæ hæreſum forent, quas amplexati indigenæ exciderant à veritate vmbram duntaxat inanē virtutis aucupantes, in terras porrò, quæ ad veritatē propius acceſſerunt, aut ab illa minus abfuerunt, rarius immiſſæ barbaricæ, atque efferæ gentes, vt lib. 22. ſigno 93. de felicitate decēti Catholicorum fuit à nobis explicatum.

Neque illud eſt à iucunditate contemplationis alienum, perſpicere quænam regiones olim fuerint ante omnes alias excultæ, ac frequentia populorum, ciuitatumq. celebres, & contra, quæ nunc magis inter illas ſint ad vaſtitatem, ſolitudinemque adductæ, ſimulq. expiſcari quoto, quantum ſciri poteſt, quælibet gradu ſe ſe alienauerit à meta veritatis; & mirabiliter inueniemus pro modo mendaciorum, falſitatisq. admiſſæ factam miſerabiliſsimam ruinam ex altiſsimo priſcæ felicitatis faſtigio.

Ægyptus mihi videtur ex omnibus alijs, quæ memorentur olim fuiſſe celebres, ac frequentes, diu primas tenuiſſe. Nam quis ignorat Thæbarum magnificentiam, quibus centum portæ erant olim, & ad quamlibet portam cum ſuis turribus ducēti equites oberrabant, atque ita ad illas erant equitum viginti millia cuſtodiæ cauſa. Quamobrem magnitudo illarum, diuitiæque locum prouerbio fecerunt apud Homerum Iliados 1. & Odyſ-

A Odyſſeæ quarto. Retulimus alibi è Diodoro fuiſſe in Ægypto
Vrbium decem & octo millia, Iam quis excelſiſsimas, vaſtiſsi-
masq́. Pyramides ad iactantiam, ſtuporemq́. intuentium con-
ſtructas ſatis aut narrando pro dignitate valeat explicare, aut
ſi velimus inſanas moles magnifacere, admirari? q̃s obeliſcos,
laberynthos, de quibus Herodotus agit, quis templa diuerſa, &
admirabilia? Quis aëris ſalubritatem, ſi Scriptori huic, qui fuit
in ijs locis, fidem volumus habere, camporum fertilitatem po-
terit enarrare? Hinc Reges ex illa potentiſsimi, ac latiſsimè
dominãtes exorti Zetus, Rhampſes, Seſoſtris, de quibus egimus
B in genealogiis Ægyptiacorum Regum. Nunc videamus quo
loco ſit iſta Ægyptus, & quam bene illi cum veritate, ac genui-
na virtute fuerit.

Pro decem & octo millibus Vrbium, nunc vix decem & octo
Vrbes numerantur, pro ſalubri aëre ſucceſsit peſtilens, antiquæ
fœcunditatis non omnino quidem facta eſt iactura, ſed aliqua
tamen, & quidem magna, è vetuſtiſsimo tempore ſemper exte
ros Reges eſt perpeſſa. Nam poſt filium Cyri Cambyſem Perſi-
cis Regibus, ac pręfectis paruit, Inde Græcis Ptolomæis, poſtea
Romanis Imperatoribus, mox Arabibus. His Saladini natio-
C ne Curdi poſteritas ſucceſsit, eius imperium Mamaluchi gene
re Circaſsi excepere; nunc Turcæ, ac Turcarum Regis manci-
pia nobiliſsimam prouinciam tenent, opprimunt, euertũt. Hæc
nos è Ioanne Leone, qui Ægyptum deſcribit, atque aliis alibi
fuſius aperuimus.

Sed quis quæſo tot, ac tantorum caſuum, tot, ac tantarũ ca-
lamitatum fons, & origo? huiuſmodi prius erat, vt principatum
teneret inter omnes regiones, veluti inter animalia Leo, ſic
enim Deus apud Ezechielem cap. 31. fili hominis dic Pharao-
ni Regi Ægypti, & populo eius, cui ſimilis factus eſt in magnitu
D dine tua? & cap. ſequenti, Leoni gentium aſsimilatus es, & Dra-
coni, qui eſt in mari.

Nunc autem contigit illi, quod idem prædixit euenturũ cap.
29. inter cætera regna erit humillima, & non eleuabitur vltra
inter nationes, & imminuam eos, ne imperent gentibus. Hæc
Ezechiel ante annos bis mille, centum, & amplius, quid igitur
fuit in cauſa tantæ euerſionis, vt quæ regio cunctis olim pręſta-
bat, nunc ab omnibus ſuperetur, quibus fuerit aliquid decoris,
ac dignitatis? ac nulla omnino ſit, quæ fuerit antea tantæ am-
plitudinis, potentiæ, ac maieſtatis, nunc autem iaceat in tanta

ſolitudine, vaſtitate, ac ſquallore. Atqui nulla videtur fuiſſe, quę magis ſcatuerit mendaciis, magis amplexata ſit falſitatem, quàm Ægyptus. Ipſa eſt, quæ multitudinem Deorum tradidit Orbi terrarum, teſte Herodoto in Euterpe, ipſa tot fabulas cõfinxit, aut eis confingendis initium dedit. Non immeritò itaq; maiores pœnas tulit, vt ſciamus infiſtendum ſolidæ virtuti non fucatæ, & falsò iactatum, quod ait Ezechiel cap. 9. quomodo dicitis Pharaoni, filius ſapientum ego, filius Regum antiquorum. ac temerè à Dionyſio ſcriptum, dum loquitur de Nilo. A

Nunc habitant iuxta ſapientum corda virorum, B
Diſpoſuere vias qui vitæ mente potenti.

Poſt Ægyptum ſecundas habet Aſſyria, ſiue Meſopotamia, in qua fuere olim Niniue, & Babylon, in quibus imperiũ, quod omnium maximum fuerit ab Abrahamo vſque ad Alexandri ætatem conſedit. quantę autem magnificentiæ, nobilitatis, ac magnitudinis fuerint Vrbes hæ, qui volet cognoſcere legat Herodotum lib. 1. Diodorum 2. Scimus è diuinis libris, Niniuē, quàm Ninum prophani vocant, tantam fuiſſe, vt in longitudinem pateret iter trium dierum, quod eſt apud Ionam. Babylon autem magnitudine erat ex omni parte centum viginti ſtadiorum, C circuitu quadringentorum octuaginta, ornatu, vt nihil aliud ei ſimile reperiretur, inquit Herodotus, erant illi in ambitu portæ centum.

Nunc autem qualis iſta Babylon, qualem certè deſcripſit Iſaias futuram cap. 13. & erit Babylon illa glorioſa in regnis, inclyta in ſuperbia Chaldæorum, ſicut ſubuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham. Non habitabitur vſque in finem, & nõ fundabitur vſque ad generationem, & generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec paſtores requieſcent ibi. ſed requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & ha D bitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi: & reſpondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & ſirenes in delubris voluptatis.

Eadem, quæ Babyloni, futura Niniue prædixit Nahum. atque ita contigiſſe ſcimus è narrationibus Geographorum. Tota porrò regio ſquallet adeo, vt poſt Ægyptum nulla ſit ſimiliter, quæ floruerit ita, atque ita nunc horreat. propter quam quæſo cauſam? propter multitudinem, inquit Naum, fornicationum meretricis ſpecioſæ, & gratę, & habentis maleficia, quę vendidit gentes in fornicationibus ſuis, & familias in malefi-

cijs

A cijs ſuis. idcirco, ait ille cap. 3. væ ciuitas ſanguinum, vniuerſa mendacij dilaceratione plena: non recedet à te rapina. Hæc diuinus vates, apertiſsimè teſtificans. plenam fuiſſe Ninũ dilaceratione mendacij, atq; idcirco terram vaſtatam, ac deſertã. Addimus etiam ſub imperium ſemper exterarum gentiũ miſſam poſt Darij, & Cyri ætatem: ex eo namque in poteſtate fuit Perſarum, Græcorum, Parthorum, Perſarum rurſus, & aliquando Romanorũ, deinde Arabum, Turcarum, Tartarorum. Nunc autem mancipiis Turcarum paret.

Refugit hic animus, & horret orationem cõuertere ad Aſiã, B Græciam, Græcos artium magiſtros, liberaliumq. diſciplinarũ. Hem quanto in ſquallore Regina gentium, mater omnium doctrinarum iacet, ac ſordet? ciuitates euerſæ, ædificia ſubruta, deformata omnia, nihil eſt denique, quod non lugeat, atque intuentibus dolorem ſimul, horroremq. incutiat. Quid ita? Dici nullo modo poteſt in cauſa tantarum cladium, calamitatumq. extitiſſe amorem veritatis, ac genuinæ virtutis. Artem verò, ac dolos Pelaſgos iuſtius aſſeri poteſt cauſam tot, ac tantis malis attuliſſe. Extant adhuc litteræ Nicolai Quinti Papæ ad Græcos, in quibus ille prædicit futuram, vt intra triennium ſupre- C mam ruinam facerent ob eam cauſam, quod toties in cauſa religionis fraudem feciſſent, neque deſiſterent dolos nectere, ac verba dare. Citantur maximo cum dolore ab illorum patriarcha Gennadio.

Præter hæc, quæ nos hic attulimus, initio librorum de antiquo, & nouo Italiæ ſtatu palam fecimus, plurimas in Occidente regiones, quod veritatem, ſolidasq. virtutes ſint amplexatæ, ad maximum locorum, ciuitatumq. decus, & maieſtatem perductas, cum prius incultæ eſſent, ac deſertæ, eademq. fuſius adhuc explicauimus ſigno 93. lib. 22. cap. 9. & ſigno 88. de D cultu deſertorum locorum, & ſigno 99. de infelicitate hæreticarum nationum cap. 1. & 2. ad quæ reijcimus veritatis cupidum lectorem.

Oſten-

Oſtenditur imperia magna, veluti Romanum, non alia via ad A
tantum culmen euecta, niſi profeſsione verita-
tis, ac ſtudio genuinæ virtutis.

Cap. VI.

QVID igitur boni poteſt accidere ſimulatori-
bus, cum neque ipſis dum viuunt aliquid eſt li-
quidæ voluptatis, & puræ, nihil eſt poſt obitū
gloriæ ſynceræ, poſteritas ipſorum breuis, ni-
hil habens, quod perduret ad felicitatem per- B
tinens, populi ipſis ſubiecti, atque ipſorum vi-
tia ſequentes illud adipiſcuntur duntaxat, vt
ad internecionem deleantur, regiones denique, quæ ijs parue-
runt, ad ſolitudinem, vaſtitatemq. maximam, ſi ſpectemus an-
tiqua, redigātur, cum longè ſecus euenerit terris illis, quas ger-
manæ veritatis ſtudioſi incoluerunt? Iam verò nos alibi oſten-
dimus latiora populis illis imperia fuiſſe, qui minus abfuerunt
à verò iuſtitiæ cultu. Non eſt opus huc illa transferre, qui volet
poterit illa cognoſcere à nobis explicata, & veriſsimis teſtimo-
niis comprobata. Quocirca rectè concluditur, nullo modo abu C
tendum paludamento virtutis ad amplificandas ditiones, atq;
ob id veritatem non repellendam. quin, vt virtutis tramitem
non relinquamus, ac veritatem ne reiiciamus, potius omnium
iacturam faciendam, mortem libenter oppetendam. futurum
namque eſt, ſi id fecerimus, vt maiores aut nos, aut noſtri faciāt
quæſtus, ac progreſſus. Atque ita ſciemus, ſimulationi denique
omne damnum, veritati omne lucrum deberi. & à genuinæ bo-
nitatis amatoribus tum maximè aliquid acquiri, cum ſeruan-
di officij cauſa videtur amitti. contra autem maxima euenire
detrimenta, cum quid prætextu virtutis contra ipſam virtutē D
nobis ipſi comparamus. & quādo cunctis obuerſatur ante ocu-
los Reſp. & imperium Romanorum, videamus, quanti fecerint
illi fidem, quanti virtutem, vt eam prætulerint omni lucro, atq;
vt eius ſeruandæ cauſa nihili fecerint omnia; neque tamen in-
ficiamur, à Romanis aliquando bellorum quæſitos prætextus
ad imperij fines amplificandos, verum non qui iuſtitiæ prorſus
aduerſarentur, ſed qui omitti poſſent, & aliàs omiſsi eſſent, niſi
acquirendi occaſio commoda ſe ſe obtuliſſet, non facile tamen
in multa ſæculorum ſerie depræhendas publico Senatus conſi-

lio

A lio decretum in exteros bellum,quod omnino fœderibus,ac iuſtitiæ repugnet. Contra autem fidei,iuriſq́. communis ſeruati exempla inter Romanos tot, ac tanta eluceſcunt, vt quamuis euoluas hiſtorias omnes omnium gentium, nihil tamen ſimile reperias.

An non hoc verum?Quis ignorat quod euenit Faliſcis, & Camillo?Mos erat,inquit Liuius lib.5.Faliſcis eodem magiſtro liberorum,& comite vti:ſimulque plures pueri vnius curæ committebantur,principumque liberos,ſicuti ferè fit, qui ſcientia videbatur præcellere,erudiebat.is cum in pace inſtituiſſet pue B ros ante Vrbem luſus,& exercitationis cauſa producere, morem per belli tempus haud intermittens, dum modo breuioribus, modo longioribus ſpatiis abducit eos à porta, nihil tale metuentes,aut ſuſpicantes intra ſtationes, & caſtra Romanorum Camillo,qui Faliſcos obſederat,ſiſtit,ſe Falerios iam prodidiſſe Romanis lætabundus aſſerens. Verum non ad ſimilem tui,dixit ei Camillus, vel populum, vel Imperatorem ſceleſte cum ſceleſto munere veniſti.nobis cum Faliſcis nullo nouo pactionum iure eſt inita ſocietas;ſed naturali, quod eſt omnibus commune,eſt ingenita coniunctio.pacique,& bello ſunt ſua iu- C ra.ac ſancte didicimus vtraque tueri,& præſtare.armis in bello non aduerſus imbelles, atque inermes pueros vtimur. ætati iſti parcitur à nobis victo populo,atque vrbe capta:expedimus illa,ac ſtringimus in armatos,& eos,qui nec læſi à nobis,nec laceſsiti caſtra Romana ad Veios oppugnarunt. Tu ſcelere vinces.Ego Romanis artibus ac fortitudine, ac virtute. Ita locutus vir admirabilis,nudatum ludimagiſtrum,manibus poſt tergum vinctis reducendum Falerios pueris tradidit; virgaſque eis,quibus proditorem verberarent, dedit. Ad quod ſpectacu- D lum populus confluens,re cognita,ſenatuque coacto deditionē fecit,imperata ſe omnia facturum profeſſus.

Quid illud Pyrrhi Epirotarum Regis?Cum Fabricius Romæ conſulatum iniiſſet,grauiſsimaque inter Romanos, ac Pyrrhū bella exardeſcerent,veniens quidam in Caſtra Romana epiſtolam detulit à Medico Regis perſcriptā, in qua offerebat ſe Pyrrhum veneno necaturum, ſi præmium traderetur ſibi abſque vllo diſcrimine bellum pro Romanis gerenti. Fabricius hominis flagitium deteſtatus,adducto in eamdem ſententiam collega, Pyrrhum ſtatim per litteras monuit, vt inſidias medici caueret, in hæc verba ſcribens. C.Fabricius. &.Q. Æmilius

Coſs.

Coſs.Pyrrho Regi ſalutem. Neque amicorum, neque hoſtium A fortunatus æſtimator eſſe videris; cognoſces enim, cum hanc epiſtolam ad nos tranſmiſſam perlegeris, te bonis quidem, ac iuſtis viris bellum inferre; malis verò, atque iniuſtis confidere. Hæc autem non tui gratia nota facimus tibi, ſed ne mors tua nobis calumniã afferat, quaſi virtute nequiuerimus te ſuperare, ac dolo contendiſſe. Acceptis itaque Pyrrhus Fabricij litteris, medicoque conuicto, ac merita pœna affecto, ad retributionem beneficij captiuos omnes gratis Fabricio, Romanisque reſtituit, ac legatum Cyneam miſit pro pace firmanda. At Romani neque gratias ab hoſte, neque mercedem volentes accipere parem Tarentinorum, atque captiuorum numerum Pyrrho remiſerunt. B De amicitia vero, & pace nihil agitari permiſerunt, priuſquam Rex ipſe cum armis, atque exercitu, cũque his, quas ſecum è Græciam duxerat naues, abiiſſet.

Sed hæc omnia, quæ diximus, nullius eſſe momenti, apparebunt; cum protulerimus in medium, quæcumque egit Attilius ille Regulus. Nam cum captus eſſet à Carthaginenſibus in bello, & ab eiſdem miſſus ad Senatum fuiſſet, vt cum eo de pace ageret; quòd ſi eam non poſſet impetrare, de captiuis commutandis, ac iureiurãdo aſtringeretur Carthaginem redire, ſi cõmutari captiuos non placuiſſet, vtrumque negandi auctor Senatui fuit, C quãuis acerbiſsima, & atrociſsima ſupplicia ab hoſtibus diriſsimis timenda forent, reuerti tamen voluit. quocirca indignantibus ad eius conſtantiam Carthaginenſibus, dolio ferreis vndique clauis circumſepto incluſus, & in mare proiectus miſerabiliter toto corpore perforatus, & dilaniatus exẽplum fidei perſoluendæ illuſtriſsimum poſteris relinquens eſt exſtinctus. Hinc ille:

Hoc cauerat mens prouida Reguli D
Diſſentientis conditionibus
Fœdis, & exemplo trahentis
Progeniem veniens in æuum.
Hic vnde vitam ſumeret inſcius
Pacem duello miſcuit. O pudor
O magna Carthago probroſis
Altior Italiæ ruinis.
Fertur pudicæ coniugis oſculum

Paruos.

A *Paruosque natos, vt capitis minor*
A ſe remouiſſe, & virilem
Toruus humi potuiſſe vultum.
Donec labantes conſilio patres
Firmaret auctor numquam aliàs dato,
Interq. mœrentes amicos
Egregius properaret exul.
Atqui ſciebat, quæ ſibi barbarus
B *Tortor pararet. non aliter tamen*
Dimouit obſtantes propinquos,
Et populum reditus morantem.
Quam ſi clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

Poſt hoc eſt aliud memorabile exemplum. Nam cum victor Annibal inſigni pugna ad Cannas Romanorum millia mul-
C ta occidiſſet, multa etiam cœpiſſet, ac pecunijs egeret, nõnullos ex eis Romam miſit, qui de cæteris redimendis paciſcerentur, iureiurando dato in caſtra ipſos redituros, niſi obtinerent, quod petiretur. His actis eorum quidam, ſimulatq. egreſſus eſt; paulopoſt ſimulans ob neſcioquid opus eſſe, vt ad caſtra reuerteretur, eo rediit, ac mox iter incœptũ repetens cum ſuis Romam venit. Verùm cum nihil à Senatu multis precibus extorqueri poſſet, omnes Vrbe relicta ad Annibalem contenderunt, illo excepto, qui fallaci reditu ſe religione exſolutum credebat. quod vbi innotuit, relatumq. eſt ad Senatũ cenſuerunt om-
D nes compræhendendum, & cuſtodibus publicè datis ad Annibalem ſubito deducendum. Atque hæc quidem Romani, qui ſi par pari voluiſſent referre, poterant illi captiuos omnino retinere, quando Annibal ad Thraſymenum lacum Romanorum ſex millia pollicitus, ſi tradidiſſent arma, abire ſe eos liberos permiſſurum, contra pactionẽ captos in vincula conieciſſet, ac retinuiſſet. Sed in Romanis plus valuit commune ius, quàm priuata iniuria. Tanta erat in ipſis fides; tanta conſtantia in obſeruandis promiſsis.

Ac ne putes infideliter eos egiſſe, vbi occaſio ſe obtuliſſet

O imperij

imperij dilatandi. Audi quod paulo ante bellum, quod Anniba- A
le Duce Carthaginenſes aduerſus Romanos geſſerunt, accidiſ-
ſe narrat Polybius lib. 1. Tenebant illi imperio Lybiam, magnã-
que Africæ partem, Sardiniam, & aliquot Hiſpaniæ, Siciliæque
loca. Sic omnes ab eis defecerunt, vt ab Afri· obſeſſa vndique
fuerit Carthago. Quid hic Romani aduerſus inimicisſimam
ciuitatem? ſemper, inquit Polybius, Carthaginenſibus ſubſidiũ
petentibus dedere: mercatoribus, qui ſub eorum imperio erãt,
vt frumentũ Carthaginem exportarent, permiſere: contra ve
ro ferre in caſtra hoſtium commeatum omnibus prohibuerũt.
Numquid amplius Romani? Erat, vt diximus, in poteſtate Car B
thaginenſium Sardinia, & Vtica, cui ſecundæ poſt Carthaginẽ
dabantur in Africa. Veterani qui Carthaginenſiũ noĩe inſulam
tenebãt, miſere legatus ad Romanos, qui ſe, inſulãq. ipſis tra-
derent. Eadem fecere Vticenſes. Poterant Romani accipere
oblata; vel illo ſaltem prætextu, vt neque Vticenſes, neque Sar-
di quidquam detrimenti afferrent Carthaginenſibus, neq; coi-
rent, vireſq. iungerent aduerſus Carthaginenſes, ſed paci, ac
tranquillitati ſtuderent. Hæc erat honeſta ſpecies amplifican-
di imperij. At huiuſmodi conſuetudo Romanis haud fuit, reie-
cere legatos. A ugendæ potentiæ occaſionem præclaram ſibi è C
manibus elabi haud curarunt.

Mille eiuſmodi poſſent à nobis afferri exempla, è quibus cla-
riſsimum fieret. cordi potiſsimum fuiſſe Romanis, vt à iuſtitiæ
linea ne recederent. atque idcirco Deum promouiſſe illos ad
imperij tantam magnitudinem, quod S. Auguſtinus adnotauit.
Nam proferantur quæſo tot, ac tanta fidei ſeruatæ exempla è
quouis alio populo, Rep. aut Rege? Non aderunt. Rectè igitur
Polybius lib. vj. Dionyſius Halicarnaſſeus 1. Græci ſcriptores
Romanos Virtute, ac iuſtitia tot, ac tantas ſibi ditiones acqui-
ſiuiſſe narrant. Hinc illud apud eos inſtitutum, nequod inferre- D
tur bellum, niſi prius fœcialibus miſsis ad eos, in quos mouere-
tur, vt iniurię ſatisfacerent, examinatis, & approbatis ex vtra-
que parte iuribus, nequid ſcilicet in leges gentium, naturæque,
& iuſtitiæ conſentaneas peccaretur, quod Plutarchus in vita
Numæ refert. Ac poteſt quiuis ſumere in manus Liuium, Dio-
nyſium, Polybium, Appianum, Dionem, atque alios, qui fuſius
res à Romanis geſtas deſcribunt, ac videbit, qua fidei conſtan-
tia Romani, qua cæteri publicas res adminiſtrarent. Quam-
obrem rectè Sillius Italicus libro decimo tertio.

FA-

A *Fœdera mortales ne ſæuo rumpite ferro,*
Sed caſtam ſeruate fidem: fulgentibus oſtro
Hæc potitur regnis, dubius qui frangere rerum
Gaudebit pacta, ac tenues ſpes linquet amici
Non illi domus, aut coniux, aut vita manebit
Vmquam expers luctus, lachrymæque, aget æquore ſemper
Ac tellure premens.

Et Claudianus.

B *In prolem dilata ruunt periuria patris,*
Et pœnam meritò filius ore luit:
Et quas fallacis collegit lingua parentis
Has eadem nati lingua refundit opes.

Notum illud oraculum, Glauco redditum, cuius meminit Herodotus lib.vj.vt ſciamus, & ab impijs Dæmonibus haud potuiſſe negari, quænam pœnæ periuros manerent. Mileſius quidam magnam pecuniæ ſummam depoſuerat apud Glaucũ Spartanum maxima iuſtitiæ opinione florentem iuramento interpoſito, vt ei redderet, qui notam quandam attuliſſet. defuncto
C Mileſio, filij eius Spartam veniunt, Glaucumq́. adeunt, atq; exhibita nota pecuniam repoſcunt. Ille repellere cœpit homines, ac viciſsim reſpondere, neque iſtius rei quidquam reminiſcor, neque ad me quidquã pertinet eorum, quæ dicitis. Volo tamen reminiſcens quidquid iuſtum fuerit, exſoluere, ac ſiquid accepi bona fide reddere. ſin à principio non accepi, Græcorum legibus in vos vti. Ad quod confirmandum, præſtituo vobis tempus menſium quatuor. Hoc audito Mileſij facta iactura, pecuniaq́. fraudati, diſceſſere. & Glaucus Delphos ſe contulit ad oraculũ
D conſulendum. Cui percõtanti an ὅρκῳ, ideſt iureiurando prædaretur pecuniam, Pythia reſpondit his verbis.

Glauco Epicydides nunc expedit ad breue tempus
Sic orco viciſſe, interuertiſſeq́. nummos.
Deiera & Euorcum: quoniam manet exitus idem
Aſt Orci natus, qui nomine, qui manibus, qui
Nullis eſt pedibus rapide aduenit, vſque adeo dum
Conuoluens omnem perdat prolemque, domumque.

O 2 Cum

Cum ſobole Euorci melius nam poſtea agetur. A

His auditis Glaucus veniam ſibi eorum, quæ dixiſſet, vt daret, obſecrabat. Cui Pythia reſpondit idem valere, Deum tentare, ac perpetrare. Tunc Glaucus accitis Mileſijs pecuniam reddidit. Glauci verò progenies, ac domus ita deleta, ac radicitus exſtirpata eſt, vt nihil omnino ſuperfuerit. Hæc Herodotus lib. vj. vt videas quibus afficiantur pœnis diuinitus ſimulatores, ac periuros ipſis malis Dæmonibus eſſe flagitioſiores.

Quin hoc erat in more poſitum apud gentes, vt ſiquis noxã feciſſet, alicui quicumq; illum recepiſſet, quaſi criminis ſocius B exiſtimaretur, quando illi tutum perfugium dediſſet. Quamobrem populi ſolebant reos huiuſmodi criminum, præſertim verò grauium dedere, ne ſupplicij diuinitus infligendi fierent vllo modo conſortes, quod tum è multis Herodoti locis, tum verò è Thucydidis libro primo conſtat. Iam verò ſiquis diligentius perſcrutetur originem, cauſasque ob quas euerſæ ſunt celeberrimæ Vrbes, vaſtatæ regiones florentiſsimæ, comperiet accidiſſe id plerumq; ob violatam fidem, ius commune, aut neglectam religionem; quæ colligi poſſunt è ſuperioribus, atque ijs, quæ libris de ſignis Eccleſiæ Dei, perſecuti latè ſumus. C

Rurſus quis ignorat Achitophelem, quod Dauidi fidem datã violaſſet, ſuiſmet ceruicibus inieciſſe laqueũ, mortemq. conſciuiſſe? An non Andronicus Antiochi Regis militum dux, cum data ſecuritate Oniam necaſſet, iuſſu Regis eiuſdem purpura exutus, per totam ciuitatem circumductus, eodem loco, quo ſacerdotem occiderat, Deo ſui ſacerdotis vltionem expetente vita eſt orbatus? multa ſunt in diuinis libris exempla harum rerum, quæ omittimus, quod in promptu ſint.

Cleomenes Lacedæmonum Res, vt ageret Tyrannum, Reip. cuſtodes ephoros occidit, datas Argiuis ſeptem dierum indu- D cias tertia nocte violauit, & neque opinantes oppreſsit, quod ſe dierum, non autem noctium feciſſe inducias diceret. victus à cę-

Plut. in apophteg.

ſorum mulieribus, atq; inde in furorem verſus, ridens accepto cultro à plantis pedum ad partes vſq; corporis vitales ſeipſum diſſecuit.

Memorabile illud Ageſilai Regis in Aſia contra Tiſapherñe Perſam bella gerentis. Nam cum factas trium menſiũ inducias Tiſaphernes violaret, & in Græcos imparatos irrueret, cæteris ſtupentibus, lætitiã præ ſe ferens Ageſilaus, gratias, inquit, ha-

bęo

A beo Tiſapherni,qui ſua perfidia Deos ſibi hoſtes,nobis verò ſo-
cios fecit. ſecuri ergo prȩlium ineamus, qui tam bonis ſociis
freti ſumus. Atque ita ſuis excitatis prȩlium committens per-
fidum fudit,ac fugauit.

Ptolomæus Ceraunus Vrbem Thraciæ Caſſandriam cũ non
poſſet expugnare,data pacis fide,modo ei ſoror nuberet,ingreſ
ſus Vrbem, omnia cæde impleuit, & à Gallis poſtea victus,cæ- Polyb.
ſus,capite ad haſtam fixo,& ad terrorem circumgeſtato,miſe-
randum ſui ſpectaculum præbuit.

Tryphon,de quo in libris Machabȩorum fit mentio,vt regnũ
B Syriæ ſibi occuparet, Antiochũ puerum per ſummum ſcelus in-
terfecit, Ionatham Machabæũ ſimulatione pacis obtruncauit,
ſed ab Antiocho Sedete Apameæ obſeſſus intulit ſibi manus, ac
mortem.

Syphax Numidiæ Rex, contra fœdera cum Romanis icta,
aduerſus hos ſe Pœnis adiunxit,victuſq. à Scipione,ac Romam
ductus in triumpho miſere vita functus eſt.

Quid autem de Ruffino,Gildone,Eutropio,Gaine, ac Sthili-
cone dicemus, qui variis prætextibus iuſtitiam prodentes ar-
ma in ſuos Imperatores impiis conatibus tulere? Odoacre He-
C rulorum Rege, Oreſte militum Magiſtro, Aſpare, Ardabu-
rio, ac plurimis huiuſmodi, qui legitimas defectionum cauſas
ad arripienda imperia,Imperatoreſq. deiiciendos oſtentabãt?
prolixiores nimis eſſemus,ſi quæcumque in hiſtoriis paſsim le-
gentibus occurrunt,huc transferre vellemus apertiſsimum cũ-
ctis facientes, nihil æque ad maxima bona vel in ipſis terris aſ-
ſequenda valere inter mortales, ad honores, & opes compa-
randas, quàm fidem ſeruare, à mendaciis abeſſe, & abhor-
rere.

Illud non omittemus imperia duo maxima omnium,quæ fue
D rint ſimul & omnium maximè diuturna extitiſſe, Perſicum, &
Romanum. Nabuchodonoſori,& Alexandri imperium Perſico
præſtitit amplitudine,ſed non duratione, vt ſupra oſtendimus.
Perſæ porro, ac Romani præ cunctis populis veritatem ſince-
riſsimè in multas ætates coluere. De Perſis teſtatur Herodo-
tus lib. 1. aſſerens ab ipſis edoceri pueros ab anno quinto ad vi-
ceſimum,equitare,arcu ſagittas iacere, vera loqui. Idem tra-
dit Xenophon in Pȩdia Cyri. De Romanis eſt inter alios auctor
Polybius lib. 6. Quibus ſanè teſtibus nullo modo ſuſpectis eſt
omnino habenda fides. Atque ita colligimus ad imperia poten

tius

tiſsima acquirenda nihil eſſe potentius veritate. A qua ſi aberretur, protinus illorum fit labes. A

Apertiſsimè oſtenditur Aſsyriacum, Chaldaicum, Aegyptiacum, Perſicum, Græcanicum, Romanumque imperium concidiſse ob dolos, ac proprias ſimulationes. Cap. VII.

AGe vero illuſtriſsimum faciamus maxima quęque imperia apertiſsimè, vt nemo diffiteri poſsit, ob ſimulationes, adumbrataſque Regum virtutes concidiſſe; & à vetuſtiſsimo omnium, quæ fuerint, imperio exordium faciamus. Illud verò conuenit inter omnes eſſe Aſſyriacum. Quod à Nino, ac Semiramide volũt amplificatum. quibus vero artibus poſteri illud tuerẽtur vſque ad Sardanapalum ſic Diodorus lib. 2. cap. 6. ſumpto regno. Ninias Nini, & Semiramidis filius pacem cum ſingulis egit, nequaquam matrem imitatus: ſed omne vitæ tempus recluſus in regia, conſpectuſque hominum vitans, inter pellices, & Eunuchos ocium, & delicias ſecurus traduxit. exiſtimabat enim incommoda omnia vitare, in continuis verſari voluptatibus, vacuum eſſe curis ſummam in Rege felicitatem eſſe. Ad ſecuritatem imperij, vt à ſubditis timeretur, annuatim certum numerum militum indicebat, & eorum ducem ſingulis prouinciis imperabat. Exercitus cum extra Vrbe conueniſſet, ducem cuique nationi prudentiſsimum eorum, qui ſecum erant, cõſtituebat. Acto anno copias remiſso domum priori milite, rurſus à priori milites petebat. quo fiebat, vt & ſubditi promptius imperata facerent, cum ſemper timor militum ſub dio agentium immineret; & ſiqui forte deſciſcerent, timore pœnę quamprimum dicto parentes eſſent. Annuam vero militum mutationem ad id conferre exiſtimauit, vt parua temporis cõſuetudine nulla inter eos amicitia contracta, neque duces, neque cæteri aduerſus Regem conſpirarent. Diutina enim militia tum milites robuſtiores, tum Duces prudentiores ſolet efficere, quæ res ſæpius magnas facultates ad deſciſcendum à principibus præbuit. Vita vero Principis exteris ignota, voluptates eorum occultas reddit & tanquam Deum à conſpectu remotum ne verbo quidem

B C D

A dem Regis maieſtatem violare vllus audet. Hac ratione exercituum Duces, prouinciarum Præſides, domeſticarum rerum curatores, iudices præterea ſingularum gentium, aliaque pro regni cura diſponens vitam traducebat, ſimiliter & cęteri Reges vſque ad Sardanapalum. Hæc ille.

Quid igitur, num ſimulata hæc Maieſtas, & vmbratilis, falſaque ſanctitudo longè procedet, ſtabit? ab Arbacto, aiunt detectas haſce delicias, hoc vitæ genus effæminatiſſum, ſed tamen imagine cuiuſdam pene diuinitatis opertum, ſeceſsionem factam, captam Ninum, flammis omnia cum Sardanapalo data.

B Hic ſcilicet ementitæ virtutis exitus. Hic Aſſyriaci imperij finis. At inquiet vir acutus non ob ſimulationem periit imperiū tantum, ſed ob mollitiē, delitias & effæminatiſsimū viuendi genus. Ita ſane. Verum fidebant iſti Reges hæc omnia fore operta inuolucris, ac tuta veluti quibuſdam munimentis honorifici illius ſeceſſus, qui ſubiectos ad reuerentiam prouocaret, ac cæteris artibus, de quibus eſt dictum, ſic aliis in rebus pro futuros alij Reges exiſtimant ſibi dolos, obiectāque virtutis effigiem ad continendos in officio populos. Atque hæc quantum ad Nini Reges.

C Chaldaicum ſequitur imperium poſt Aſſyriacum Nini. cuius excidium ſcimus, è Daniele, & Herodoto. Narrat hic lib. 1. Cræſum potentiſsimum Lydorum Regem, cum videret Cyrum magis in dies augeſcere, ac regni fines amplificare, fœdus iniiſſe cum Labynito Babyloniorum, Chaldeæque Tyranno, is eſt Balthaſar apud Danielem, & cum Amaſi Ægyptiorum Rege, ac metu excreſcentis quotidie potentiæ bellū Cyro intuliſſe. Cyrus, qui nihil iniuriæ fecerat in Cræſum, vel Labynitum, victor extitit, Cræſum, regnaque ipſius cæpit, ac mox obſedit Babylonem munitiſsimam, vt Herodotus deſcribit, Vrbem, quæ

D capta eſt tandem ciuibus, ac militibus in conuiuia, choreaſque effuſis. Atque ita dum Chaldæorum Rex cum Cræſo inſidias ſtruit immerentibus, fœdus init aduerſus finitimos abſque vllo iure, bellumque mouet nulla de cauſa, perniciem ſibi comparauit, exitiumque extremum.

Ægyptiaci fuit eadem ſors. Sed multo apertiores cauſæ. Apries ante Amaſim, qui cognomento dictus eſt ob calliditatem ſapiens, vt eſt in Timæo Platonis, regnauit in Ægypto: Verum deficientibus Ægyptiis ab Aprie ob falſas quaſdam ſuſpiciones miſſus eſt Amaſis ab Aprie ad eos ſedandos; hic aſtu rem

ag-

aggreſſus imperium ſibi Ægypti vēdicauit, Apriem cœpit acie A
victum,qui mox eſt ſtrangulatus.Cum Amaſi,vt diximus,ſocietatem coniunxerat Cræſus aduerſus Cyrum.ſed hoc defuncto, Cambyſes filius filiam ſibi petiit vxorem dari ab Amaſi,qui loco filiæ mittit Apriis filiam,quam ſuam dicebat. Tum ſuperiori fœdere,tum vero hac illuſione irritatus Cambyſes mouit aduerſus Pſammenitum filium Amaſis, qui paulo ante deceſſerat, victorq. Pſammenitum cœpit,atque Ægyptum.Mos Perſis erat Reges pręlio ſuperatos plerumque haud interficere, ſed impoſito tributo,cuſtodiisq. adhibitis procuratores eos cum dignitate relinquere in regno. Id agere cum Pſammenito Cambyſi B
in animo erat. At ille inſidioſè ad defectionem ſollicitare Ægyptios aduerſus Cambyſem cœpit.Qua re indignatus hic epoto eum ſanguine taurino mori coegit. Atque hic finis fuit ſimulationū,dolorumq. quibus Amaſis auertit ab Aprie,& in ſe tranſtulit Ægypti imperium,conſpirauit in Perſas cum Cræſo,& Labynito. Hic exitus filij Pſammeniti doloſè agentis aduerſus Cambyſem victorem. cum prius ipſius milites atrociſsimè in conſpectu Perſici exercitus iugulaſſent filios cuiuſdam Phanis innocentes ſuper quoſdam crateres, ſanguinemq. ex illis profluentem vino mixtum bibiſſent;legatos præterea miſſos à Per- C
ſis in fruſtra diſcerpſiſſent,cōtra omnium gentium leges,vt ſciamus, quò doli perducant, quò mendacia artificioſè contexta. Hæc Herodotus lib.2.

Perſæ poſt hos omnium latiſsimè imperarunt, qui,vt ex Herodoto, & Xenophonte ſupra dicebamus à principio maximè omnium veritatem coluerunt,vt mirum non ſit, ſi Darius Perſarum Rex Zorobabeli præmium ſponſionis adiudicauit, cum contentio ipſi eſſet cum tribus aliis, quodnam foret in rebus humanis potentius, & alijs alia dicentibus, ipſe veritatem dixit omnium potentiſsimam. Quales verò fuerint paulo antequam D
ſubuerteretur ipſorum imperium, ſic Xenophon lib.8. Pædiæ noui enim & Regem (Perſarum) prius, & qui ſub Rege eſſent, etiam his, qui vltima ſcelera perpetraſſent, ſiue iuſiurandum iurati eſſent, inuiolatum præſtare, ſiue dextras dediſſent,conſtantiſsimè obſeruare ſolitòs. quod ſi minus tales fuiſſent,& huiuſmodi de ſe opinionem non præbuiſſent,ne vnus quidem credidiſſet eis,quemadmodum nunc nemo amplius credit,poſteaquam cognita eſt eorum impietas: ſic neque tunc illi crediſiſſent, qui duces vnà cum Cyro aſcenderunt. At hoc tempore,

qui

A qui priori de ijs opinioni crediderunt, ſeipſos interfecerunt, & ad Regem ducti obtruncati ſunt. Multi etiam eorum barbarorum, qui vna militarunt, alij alia decepti fide data perierunt, multi præterea etiam in ijs rebus nunc ſunt deteriores. Antea enim ſiquis aut periculum ſubijſſet pro Rege, aut Vrbem gentemúe in ſeruiturem egiſſet, aut aliud quidpiam pulchri, boniúe peregiſſet. hi erant, qui in honore habebantur. At nunc etiã ſiquis, quemadmodum Leomithres, vxorem, ac liberos, amicorumq. filios obſides apud Ægyptum liquiſſet, isque maximum iuſiurandum iuratus eſſet, ſi tranſgrederetur erat ex ijs, qui B maximos honores præmij loco habent. Hæc igitur videntes Aſiatici, omnes ad impietatem, & iniuſtitiam verſi ſunt. quales enim ſunt Præfecti, tales etiam, qui ſub ipſis ſunt, fere fiunt: ob eamq. rem maiore vtuntur licentia nunc quàm antea, præſertim circa pecunias, vt ſunt iniuſtiores. quò fit, vt nihilo illi minus, qui videntur eſſe ditiſsimi, quàm qui multa per iniuſtitiam deliquerunt, in metu ſint. Hæc Xenophon; è quibus liquet cuncta per dolos acta apud Perſas, nihil ijs fuiſſe ſincerum, ſimplexq. in adminiſtratione rerum priuatarum, ac publicarum.

Græci, vt omnes norunt, Perſis in imperio ſucceſſere Alexan C dro Rege, qui longiſsimè ſemper abfuit ab omni ſimulatione, ſed animi magnitudinem præſeferens in omnibus admirandã, cuncta aperta ſine vllo fuco, ac fallaciis ſemper habuit. quamobrem regni initio cum multi ſuaderent, vt barbaros blandis deliniret, Græcos aſtu caperet, & in ſuas partes traheret, nihil voluit diſsimulanter agere, ſed bello illos adortus aperto vicit, hos celeritate expeditionum, viq. militari domuit. Cumque inſimulatus apud illum per epiſtolam Philippus medicus fuiſſet, quaſi venenatum poculum miniſtraret, accepit intrepide D potionem, ac litteras medico oſtendit, cum nihil inſidiarum timeret ab aliis, qui nullas ipſe vlli ſtruere ſolitus eſſet. Sed de virtutibus Alexandri extat liber Plutarchi, quo latè ille diſputat, non immeritò imperium tantum diuinitus fuiſſe delatum tantis virtutibus prædito Regi. Et tamen hic extremis vitæ diebus in magna vitia prolapſus luce hac, & regno priuatus obiit. Qui verò fuerint eius primarij ſucceſſores, vt ab omni virtutũ genuino officio degenerarent, eſt dictum.

Romani igitur excepere dominatum totius terræ habitabilis, qui mox ad Italicos, inde ad Hiſpanienſes, atque ab his ex aliis in alias nationes deuolutum denique in Chriſtianis reſe-

P dit.

dit. Et quidem quantum veritati detulerint Romani aperui- A
mus ſupra. Ruinam tamen ducente Rep. fraudibus, atque inſi-
diis latiſsimus eſt aditus factus; vt iure in vnius poteſtatem
Deus adduci cuncta permiſerit, atque ex hac in illam gentem
transferri. ſic enim vates ille.

Quippe vbi fas verſum, atque nefas, tot bella per Orbem
Tam multæ ſcelerum facies; non vllus aratro
Dignus honos: ſqualent adductis arua colonis.
Et curuæ rigidum falces conflantur in enſem.
Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum B
Vicinæ ruptis inter ſe legibus Vrbes
Arma ferunt; ſæuit toto Mars impius Orbe.

Sed & Lucanus aperiens cuncta regna à veris virtutibus, nō fucatis pēdere, dum cauſas explicat Romanę Reip. ruentis, ita canit.

Hæ ducibus cauſæ ſuberant; ſed publica belli
Semina; quæ populos ſemper merſere potentes:
Namque, vt opes nimias mundo fortuna ſubacto C
Intulit, & rebus mores ceſſere ſecundis,
Prædaque, & hoſtiles luxum ſuaſere rapinæ
Non auro, tectiſue modus: menſasq́. priores
Aſpernata fames: cultus geſtare decoros
Vix nuribus, rapuere mares: fœcunda virorum
Pauperies fugitur, totoq́. accerſitur Orbe
Quo gens quæque perit. tum longos iungere fines
Agrorum: & quondam duro ſulcata Camilli
Vomere, & antiquos Curiorum paſſa ligones D
Longa ſub ignotis extendere rura colonis:
Non erat is populus, quem pax tranquilla iuuaret,
Quem ſua libertas immotis paſceret armis.
Inde iræ faciles, & quod ſuaſiſſet egeſtas
Vile nefas: magnumq́. decus, ferroq́. petendum
Plus patria potuiſſe ſua; menſuraq́. iuris
Vis erat: hinc leges, & plebiſcita coacta.

Hæc

A Hæc iſti è quibus omnibus apparet, in primis veritati ſtudendum, genuinæq́. probitati, ac fucum nihil poſſe ad extremum, vel ad imperia comparanda, vel ſiquidem parentur, ad ea diutius tuenda.

Illuſtriſsimo exemplo Orientalis imperij, & Occidentalis aperitur, quantum poſsit vera virtus inermis, & quantum ficta, & armata. Cap. VIII.

B PROSEQVAMVR adhuc tamen orationē, mirabiliq́. euento veritati comprobemus, nihil æque æd regnorum tuitionem, & incrementū valere, quàm pietatem, veritatemque, nihil perinde poſſe ad excidium, & diminutionem, quàm fraudes occultas, fictamq́. religionem, pronunciatumq́. illud antiquum maximè conſentaneum veritati.

Malum conſilium conſultori peſsimum

C Igitur omniū memorabiliſsimo exemplo oſtendamus, quanti ſit ex vna parte imbellis pietas, ac veritas inermis, ex altera verò ferox impietas, & fraus armis vndique accincta, ac bella ciens; progreſsiones vtriuſque partis, atque exitus attendamus.

Anno quadringenteſimo octauo in Occidēte imperabat Honorius, in Oriēte Arcadius fratres Theodoſio Magno Auguſto nati; obiit Arcadius, Theodoſium filium, qui nondum exegerat annos vndecim, relinquēs, Pulcheriamq́. annorum quindecim, ac duas præterea minores filias. Honorius vel ante mortē fra- D tris per dolos eripere ipſi Orientale imperium machinabatur, agitatis multo ante in eam rem conſiliis, multiſque, quas diſiecerat Deus, inſidiis comparatis. Quin hoc ipſo anno Alaricum Gothorum, ſiue Regem, ſiue ducem in Illyrico ſubſiſtere cū maximo exercitu iuſſerat, Stilichonemq́. miſerat, qui de improuiſo confinia perrumperet, Conſtantinopolimq́. aduolaret, & caperet. His rerum momentis vita migrauit Arcadius, paruulo, vt diximus filiolo relicto, ac Virguncula Pulcheria. Tum verò Honorij, ac Stilichonis ſimul animus exardeſcere cœpit, & inhiare impuberis imperio. Quid enim protegeret illud? dee-

rant omnia Theodoſio puerulo,milites,duces,conſiliarij,auĉto A
ritas, ingenium ad imperii tantam molem ſuſtinendam, patebat ætas inſidiis omnium,malisq́. artibus. Erant in ipſo limine Gothi,Vandali,Sueui,Alani, Hunni, qui protinus omnia deuorarent,ipſe Honorius,à quo ſperari,& expectari omne præſidium poterat,ille ipſe erat,qui dolos nectebat,ac ruinam ſtruere moliebatur, ita vt hæc omnia perſentiſcens multo ante, ac probè ſciens Arcadius tutorē filiis reliquerit Iſdegerdem Perſarum Regem,non Honorium fratrem.Sed quid ille poſſet longiſsimè poſitus, & in remotiſsimis oris,aut quid ab eodem non timēdum, qui ſemper Orientalis imperii fuiſſet inimiciſsimus? B
Actum prorſus itaque erat de Theodoſio tenellæ ætatulæ Imperatore,actum de regno eius erat. Quid enim deſtineret, quid quæſo retardaret Honorium prœliis aſſuetum, conſiliis expediendis exercitatum,militibus,ac ducibus vndique armatum, cuius dicto audientes eſſent, quæ ceruicibus Orientalis imperii ferociſsimæ gentes imminerent? I nunc,ama veritatem, cole fidem, complectere iuſtitiam, religioni adhære, confuge ad preces, inuoca, implora, obteſtare omnes ſuperos, ſupplicibus votis fatiga Deum? ſimpliciorum ſunt iſta, & irriſioni patentium. C

Cura tibi Diuûm effigies, ac templa tueri.

Sinceris non ſunt adminiſtranda regna, circumueniendi omnes,& illudendi. ſic itur ad regna, ſic illa confirmantur, augentur,ad ſummum culmen euehuntur. Itane? Euenta tantarum molitionum quæſo videamus. Accurrant Macchiauelli doctrinam laudantes,ſectantes,accurrant omnes mortales,contemplentur admirabile certamen, prœlium cunctis ſæculis memorabile,& ſuſpiciendum.

In aciem prodit,en vide, puſio inermis, expers iudicij,omni D
præſidio nudatus,molliculus, vix hærens veſtigiis. & huic tantillo Orientale innitur imperium.

Ex aduerſo erumpit miles exercitatus, ferreus totus,exercitibus circunſeptus, conglobatis agminibus irruens, ſagax, arma tractare, cuncta ardua ſolitus explicare, victorias illuſtriſſimas referre,trophea nobiliſsima ſtatuere,triumphos ducere, ex hoſtibus acerrimis,& quidē plurimis conſuetus. & huic tanto,his tot,ac tantis Occidentale imperium corroboratur.

Et ille puerulus vincet? illius imperium ſtabit? Hui res ridenda,

A da, exſibilanda, explodenda. Certè quidem vincet ille, ſtabit
illud. Apage, quì fiet iſtud? Adcurret auxilium latura ſororcu-
la annorum quindecim, vota concipiet, ad Deum confugiet fu-
gabit, diſsipabit, conteret, ad nihilum rediget omnia contra-
ria. ita vt Orientale imperium ſtet, floreat, Occidentale miſer-
rimè dilanietur, corruat.

O rem prorſus omnium cachinnis excipiendam, ſæculis om-
nibus omnīno deridendam. fallimurne, an fallimus? Ita certè
res eſt. Ac dubitamus à Deo cuncta gubernari? Mei autem pe-
nè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſu-
B per iniquos, pacem peccatorum videns, quia non eſt reſpectus
morti eorum, & firmamentum in plaga eorum, in labore homi-
num non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo te-
nuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate ſua. Ita diuinus vates,
ſed quid poſtea conuerſus ad Deum? Verumtamen propter do-
los poſuiſti eis, deieciſti eos dum alleuarentur, quomodo facti
ſunt in deſolationem? ſubito perierunt propter iniquitatem
ſuam.

In hoc igitur ſtatu rerum, in tantis Orientalis imperij peri-
culis, in extremo illius iam iam ruituri diſcrimine Pulcheria ſe
C tota vita virginitatem Deo conſeruaturam vouit: deinde vt
idem facerent duabus ſororibus paruulis perſuaſit. Atque vt
conſilium ſuum, decretumq́. aliquo pignore ſtabiliret, & quaſi
teſtimonio quodam conſignaret, admirandum pulchritudine
incredibili ex auro, & precioſis lapillis confectum ornamētum
in ſacræ menſæ formam redactum virginitate ſua, imperioq́.
fratris tuendo catholicæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ dedi-
canit in ora illius, conſilium, cauſamq́. conſecrationis huiuſmo
di litteris inſculpens, vt illæ ſcilicet ipſius loco Deum quodam-
modo precibus ad opem fratri ferendam, conſeruandumq́. im-
D perium continenter inuocarent. Ipſa igitur optimè, vti dice-
bat, adminiſtrauit imperium, quam celerrimè de rebus agen-
dis conſultauit, omnia referens in ſcriptum, ſcribendo namque,
& dicendo Græcè, & Latinè plurimū valuit. Sed quęcumq; age-
bat, perinde atq; à fratre conſtituta eſſent, illi, ac nomini illius
aſcribebat; illud in primis curās, vt imperatoriis artibus educa
retur, ac diſciplinis ætati cuique conuenientibus inſtitueretur.
Sic ille rem militarem, & equeſtrem didicit ab eis, qui rerum
talium periti erant. Quemadmodum vero in publicis congreſ
ſibus pro dignitate magnificus eſſet, ac ſplendidus, ab ipſa edo-
ctus

ctus eſt, quomodo veſtem ſibi circundaret, conſideret, incederet, riſum moderaretur, placidus eſſet, ac mitis, terribiliſve & minax, commoduſque audiendis ſupplicantium precibus. Ante omnia vero docuit eum iuſtitiam, pietatem ſolidam colere, precati Deum continenter, templa ſæpius adire, ædes ſacras vaſis, donariis, & ornamentis locupletare, plurimi facere ordinem ſacerdotum, ſimulque viros bonos, qui Chriſtianorũ legibus optimè viuerent. Hinc ille fortis, laborum patiens, temporum viciſsitudines, ac mutationes facillimè ſuſtinens nihil ab æſtu, & frigore metuebat. Ieiunio frequenti e ſororis diſciplina ſe aſſuefaciens quarta præcipuè, ac ſexta feria mane conſurgens hymnos Deo cũ ſororibus dicebat alternis verſus decantans, noctu diuinæ ſcripturæ intelligendæ operam dabat. Iram ſic habuit in poteſtate, vt neminem ſit vltus, à quo læſus fuerit nemo illum viderit iratum. ſiquis bellorum motus audiretur ad Deum confugiebat. defuncti epiſcopi ſagum ſquallidum, quod is opinione ſanctitatis præſtaret, ſub clamyde ſolebat geſtare, ſperans fore, vt diuinitus ob id ipſi multa concederentur. Atque ita gubernauit imperium Theodoſius annis quadraginta duobus cuncta diſponente Pulcheria, quæ fratri ſuperſtes Martianum ſibi virum adſciuit, imperij conſortem iure iurando prius accepto, ne quid illibato Virginitatis flori imminueret, minimumve detrimenti afferret, cumque illo imperium moderata eſt aliquot annis. Hæc Sozomenus illorum temporum ſcriptor lib. 9. cap. 1. & ſequ. Marcellinus, Caſsiodorus, Nicephorus lib. 14. A B C

His armis ad pugnam deſcendunt puerulus, ac Virguncula. O ſtupida, Macchiauellus inquiet, ingenia. Actum prorſus eſt de iſtis. dicto citius euaneſcent. Itane? An non Deus omnia gubernat? An non veritatem, veritatiſque amantes tuetur, ac fouet? An non infeſtiſsimus eſt fraudibus, nequitiis, flagitiis? An non radicitus extirpat, ſiquid ab his enaſcitur, atq; in altũ ſe attollit? An non cognouere id vel à noſtra religione auerſi? D

Male parta, male dilabuntur.

Ecce enim rebus in hoc ſtatu conſtitutis, cum tot gentes efferæ conſtitiſſent in aditu ipſo Orientalis imperij, nihil aliud, quàm prædas meditarentur, multo longius abeſſent à locis Occidentalis ſubiectis, ab his abſterreret ætas Honorij firmata vſu, prudẽtia, duces ipſius militares ſoliti ex hoſtibus victorias

re-

A referre,eoſque veluti manu,& conſilio prompti fundere;ac profligare,ipſe Honorius cupiditate,& inſidiis Orientale imperiũ iam deuoraſſet,& ad illud extenuandum, vires eius debilitandas,quò ſcilicet facilius ipſe caperet,tot barbaros immiſsiſſet, illi tamen Orientali omiſſo in Occidentale imperium ferociter irruerunt,totum ſpoliauerunt,diſcerpſerunt,dilaniarunt.

Honorio tot præſidiis communito Alaricus omittens Conſtantinopolitanum,Græciamque, cum ſuis Gotthis in Italiam ſe ſe effudit,eamque vnà cum Roma cœpit, diripuit, vaſtauit, Burgundiones in Galliis conſiderunt,in eaſdem Franci irrupe-B runt,Britanni defecerũt,Vandali in Africam traiecturi Hiſpanias occuparunt;Attalus,Maximus,Iouinus, Caſtinus Imperatores aduerſus ipſum creati.Stilicho denique bis ſocer in eum ruinas aliis molientem ruinas & ipſe machinatus eſt. Hinc Numatianus.

Quò magis eſt facinus diri Stilichonis acerbum,
Proditor arcani qui fuit imperij.
Humano generi dum nititur eſſe ſuperſtes
Crudelis ſummis miſcuit ima furor.
C *Dumque timet quidquid ſe fecerat ipſe timeri*
Immiſit Latiæ barbara tela neci.
Viſceribus nudis armatum condidit hoſtem
Illatæ cladis liberiore dolo.
Ipſa ſatellitibus pellitis Roma patebat.
Et captiua prius quam caperetur erat.

quin viuẽtibus adhuc Theodoſio,& Pulcheria, imperãtibusq;, cum iam Valentinianus Honorio ſucceſsiſſet, nonne Africam Vandali cæperunt? Ipſe vero Theodoſius, ac Pulcheria iucun-D diſsimos ſemper optatiſsimæ pacis,ac trãquillitatis fructus in maxima quiete perceperunt. Occidentali ruente nonne Orientale ſtetit,etfloruit?conati ſunt Scythæ,Hunni ab Aquilone;conati ſunt Perſæ ab Oriente in illud perrũpere, illud dilacerare, exſcindere,nihil effecerunt,nihil potuerunt,Roilas ingẽti Scytharum Nomadum coacto exercitu, & Iſtro traiecto, Thraciã populabũdus ingreditur,propè Cõſtãtinopolim cõſedit,primo clamore, atque impetu ipſam capturus, direpturus,exciſurus. quidni? cum forent id ætatis, id roboris Imperatores. Verum Deus imbrium copia incredibili demiſſa ſic omnes eorum vires

ener-

eneruauit, infregit, comminuit, vt nullo loco conſiſtere poſſent, & quod incuſsit maximum timorem, cunctoſq. proſtrauit, ipſe Dux Roilas demiſſo cælitus fulmine eſt occiſus, & ambuſtus. Idem verò propè cõtigit aliquibus Perſarũ prædatoriis copiis. Rurſus, inquit Sozomenus, Vldas innumeros Hunnos ſecum trahens cum Martis caſtra Myſiæ ciuitatem cœpiſſet Conſtantinopolim pergebat, nullas pacis conditiones aut admittere, aut audire vllo modo volens. quid igitur euenit? caſtris vtrinque poſitis obortus eſt inter Hunnos ſermo de virtutibus Imperatoris, qui ſic illapſus eſt in animos ducum, ſic eos deliniuit, ac cępit, vt protinus amore quodam tacito inflammati, & abrepti ab Vlda defecerint, ad caſtra Theodoſij tranſierint, iis ſe ſe adiunxerint, ac ſubiecerint, Vldas vix potuerit incolumis inde ſe fuga proripere. Viden quanti ſit vera virtus? quantas habeat vires? quid quæſo ad hæc omnia Macchiauellus obſtrepet? quid cum ſuis garriet? Quid pluris ad hæc etiam terrena potiunda, & habẽda inermis, imbecilla, nuda, ſed vera pietas? An inſidioſæ, & fallacis, verumtamen ferro, & armis vndiq; cinctæ, ac mutæ fucus? En tibi ante oculos memorabiliſsimo, atque illuſtriſſimo exemplo eſt vtraque poſita quaſi de imperio pugnatura. Verè igitur Claudianus, qui temporibus hiſce viuebat. A B C

Sæpè mihi dubiam traxit ſententia mentem
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector; & incerto fluerent mortalia caſu.
Nam cum diſpoſiti quæſiſſem fœdera mundi,
Præſcriptoſq. mari fines, anniq. meatus,
Et lucis, noctiſq. vices; tunc omnia rebar
Conſilio firmata Dei; qui lege moueri
Sidera, qui fruges diuerſo tempore naſci,
Qui variam Phœben alieno iuſſerit igne D
Compleri, ſolemq. ſuo; porrexerit vndis
Littora, tellurem medio librauerit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volui
Aſpicerem; lætoſq. diu florere nocentes,
Vexariq. pios; rurſus labefacta cadebat
Relligio; cauſæq. viam non ſponte ſequebar
Alterius, vacuo quæ currere ſemina motu

Affor-

A *Affirmat,magnumq́. nouas per inane figuras*
Fortuna,non arte regi. quæ numina ſenſu,
Ambiguo vel nulla putat,vel neſcia veri.
Abſtulit hunc tandem Rufini pœna tumultum;
Abſoluitq́. deos; iam non ad culmina rerum
Iniuſtos creuiſſe queror: tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.

Hæc ille contemplatus, quæ Rufino acciderant, quæ & Stilichoni, Gaini, Gildoni, Eutropioq́. euenerunt, dum ſcelere ad imperium per dolos peruenire contendunt. B

Ab animalibus ratione carentibus edocemur fraudes fugiendas, ac dolos, ſi nobis bene eſſe velimus, virtutem niſi ex omni parte poſsimus aſſequi, quantum poſſumus tamen retinendam. Cap. IX.

C AD ſummam liquet Regibus, qui inanes Vmbras virtutum captant, ac venditant imperitis, vbi veritate dimiſſa, fallaciq́. obiecta ſpecie fit aliquid ab eis in præſenti lucrum, nihil ad extremum boni contingere, quando eorũ plerique omnes miſerrimè interficiuntur, ijs vita eſt breuis, aut regno ſpoliati moriuntur, regnantes in maximo metu ſemper degunt, variis euentibus ærumnarum conflictantur, grauiori caſu euecti ad altiora cum ſuis corruunt, perpetuis ſuorum diſsidiis, ac bellis vexãtur, ſuorum ferales cædes aſpiciunt, neque tam lata, aut tam diuturna D imperia poſsident, vt eiuſdem conditionis boni Reges: atque hæc quidem, dum viuunt. poſt obitum verò perpetua ſolent infamia notari, eorum poſteritas non admodum durat, quin nepotes ipſorum mutuis ſe ſe cædibus abſumunt, populi ad internecionem delentur regiones eis ſubiectæ ad vaſtitatem, ſolitudinemq́. rediguntur. Poſtremò autem, non alia ratione potentiſsimę nationes ad imperia, quæ fuerint omnium latiſsima, ac maximè diuturna, diuinitus euectæ ſunt, quàm veritatis profeſsione, obſeruantia promiſſorũ, fideiq́. datæ præſtatione, contrariaſq́. ob cauſas deiectæ, ac ſpoliatæ.

Atqui nos tum propenſio cunctorum mortalium naturalis, A tum verò animantium quorumuis ingenitus mos id poterant abundè docere. Nam cum per mentem ſimus homines, & hac diſtinguamur à beſtijs, eius verò finis ſit veritas, in quam toto impetu citatiſsima ſemper feratur, fit hinc nos à nobiſmetipſis deſciſcere, vbi à veritate recedimus, & intimam quandam fieri in nobis potiſsimarum partium diſcerptionem, qua miſerrimè dilaceremur, quod cũ refugiamus, fieri nullo modo poteſt, quin abhorreamus à mendaciis, mendaciorumq. amatoribus, amemus verò, & amplexemur, qui veritati ſtudent. Ob id etiã moleſtiſsimè ferimus ab vllo nos decipi, nam perinde eſt, ſiquis mi- B hi humanitatem detrahere velit, & ex homine belluam prorſus efficere, eripit enim mihi quodammodo intelligentiam, ſiue intelligentiæ munus, cuius eſt quærere, & aſſequi veritatem, qui fucum facere, ac mihi falſa vult perſuadere. Quamobrẽ neceſſe eſt, vt ſimulatio pariat contrarios effectus ijs, quos nititur parturire, cumque fidem ſibi velit conciliare veri ſpecie, abrogabit omnino, efficietque, vt animus hominis pugnet aduerſus huiuſmodi mendaces, veluti proprios inimicos, neque in veris etiam credat, atque ita faciant iacturam ſimulatores, vt in omnibus nulla ipſis habeatur fides, odiumq. pro amore contrahant, & in C omnia damna incurrant, cum nemo ipſis fidat veluti perfidis, ab eis metuat; atque idcirco extinctos cupiat, & quantum poſſit ad quamuis occaſionem procuret.

Id autem nos ipſa animantia, quę rationis expertia ſint, clariſsimè docent. ipſa omnium rerum natura tantam veritatem teſtificante, atque innumeris modis conſignatam paſsim noſtræ menti obijciente. Nam quæ belluæ ſunt fraudulentiores, ac ſæuiores, eædem minus viuaces, maioribus morbis naturaliter obnoxiæ ſunt, à pluribus, & acerbioribus inimicis ad mortem quæſitæ, in locis, ac ſolitudinibus multo aſperrimis degentes, D quaſi natura nobis identidem velit indicare, nihil in fraude, ac dolis, nihil in atrocitate eſſe boni, nullum in his eſſe fructum iucunditatis, lucri, aut honoris.

Quocirca teſtis eſt Ariſtoteles veritatis diligens inueſtigator omnes beſtias, quæ carnibus comedendis delectentur, inimicitiis, & pugnis inter ſe decertare, mortemq. inuicem ſibi illas machinari. Quæ verò ex his truculentiores magis eſſe dicũtur, ac magis doloſæ, plures hoſtes ſpeciatim patiuntur, duriori cibo, & locis tetrioribus vtuntur. exempli gratia; ſerpentibus ini-

A inimicitiæ ſunt perpetuæ cum ciconiis,aquilis,vulturibus,miluis,ceruis,muſtellis,ſuibus,lacertis,gallinis,teſtudinibus, ichareumonibus,à quibus deuorentur. Ceruus quidem nomen inuenit à Græcis non aliunde, quam à capiendis anguibus, ἔλαφρος enim Græcè dicitur, quaſi capiens ſerpentes, quod ſpiritus attractione ſola illos in os, ac fauces cogat deſcendere, cibumq. ipſi præbere. librat araneus, ait Plinius lib.10.cap.74. ſe filo in caput ſerpētis porrectæ ſub vmbra arboris ſuæ: tantaq; vi morſus cerebrum appræhendit,vt ſtridens ſubinde,ac vertigine rotata,ne filum quidem deſuper pendentis rumpere,adeo non fu-

B gere queat: nec finis ante mortem eſt: hæc ille. Iam verò non alia plerumque eſt ſerpentibus paſtio, quam terræ, quæ tamen ſic aduerſus ipſos indignatur, vt nolit eos intra ſe recipere, quoties hominem momorderint,quod Plinius ſcribit. alioquin in locis ipſi tetris, & ſquallentibus habitare ſolent. Atque ita in omnibus poſtremas tenent, quaſi fraudi eorum, maleficoq. ingenio natura nihilnon peſsimum reſeruauerit, ac maximè nocens,ſiue naturales hoſtes inſpiciamus,ſiue cibum,ſiue domicilium. Vulpes,ac lupus inter ſe exitialiter prœlia cōmittunt; illi præterea circus accipiter,cornix,& ardeola maximè infen-

Lib. 2.c. 63.

C ſi,huic & aliæ multæ beſtiæ.

Contra autem quales elephanti,grues,apes,vel quæcumque belluæ magis ad humanioris cuiuſdam vitæ ſimilitudinē propius accedunt? Canes ipſi hominibus adeo fidi,equi, animantiaq. huiuſmodi multa? Tranſeamus ab hiſce ad alia,quæ manſuetiſsima ſunt. Num meliore ſunt cōditione angues,lupi,vulpes,quàm nō dico ſuperiora,ſed mitiſsimæ columbę,palumbes, cerui,oues,agni? Cuiuis generi iſtorū mors eſt deſtinata.quodlibet eſt morti addictum,ſed vita his placidior, neque tot incōmodis,atque hoſtibus pariter obnoxia, & quod mirandum ſit,

D progenies fœcundiſsima,ſedes haud deſertæ,melior cibus. Vitam vult Ariſtoteles rerum naturalium ſolers indagator, homini eſſe longiorem,quàm cuiuis animali,excepto elephante; ita vt, quæ de nonnullis beſtijs aſſeuerantur, longè diſtent à vero. Palumbibus ſcribit eſſe vitam non modo ad annum vigeſimum quintum,ſed etiam quadrageſimum. Ceruis,& cornicibus aliqui longiſsimam vitam ferunt. Nullum tamen animal,vel homini bene inſtituto, & morato magis amicum, vel ſimile videtur elephanto,ac nullum ſimiliter felicius. Audiamus Plinium loquentem. Maximum eſt elephas,proximumq. humanis ſenſi-

Lib.4. c. 10. de generatione animaliū. Lib.9.c.7.de hiſt. animalium.

Lib.8.

bus. quippe intellectus illi ſermonis patrij, & imperiorum obedientia, officiorumque, quæ dedicere memoria, amoris, & gloriæ voluptas: imo verò (quæ etiam in homine rara) probitas, prudentia, æquitas: religio quoque ſiderum, ſolisque, ac lunæ veneratio. Authores ſunt in Mauritaniæ ſaltibus ad quendam amnem, cui nomen eſt Amilo, niteſcente Luna noua, greges eorum deſcendere, ibiq. ſe purificantes ſolemniter aqua circumſpergi, atque ita ſalutato ſidere in ſiluas reuerti, vitulorum fatigatos præſęferentes, alienæ quoque religionis intellectu credũtur maria tranſituri non ante naues cõſcendere, quam inuitati rectoris iureiurãdo de reditu. Viſiq. ſunt feſsi ægritudine (quãdo & illas moles infeſtant morbi) herbas ſupini in cælũ iacientes, veluti tellure precibus allegata. nam quod ad docilitatem attinet, Regem adorant, genua ſubmittunt, coronas porrigũt, & cap.3. Certum eſt vnum tardioris ingenij in accipiendis, quæ tradebantur, ſæpius caſtigatum verberibus, eadem illa meditãtem noctu repertum. mirum maximè & aduerſis quidem funibus ſubire, ſed regredi magis vtique pronis. Mutianus ter Conſus auctor eſt, aliquem ex his, & literarum ductus Græcarũ didiciſſe, ſolitumq. perſcribere eius linguæ verbis. Ipſe ego hæc ſcripſi, & ſpolia Celtica dicaui. Itemq. ſe vidente Puteolis, cum aduecti è naui egredi cogerentur, territos ſpatio pontis procul à continente porrecti, vt ſe ſe longinquitatis æſtimatione fallerent, auerſos retrorſus iſſe. & cap.4. mirum in pleriſque animalium, ſcire quare petantur; ſed & per cuncta quid caueant. elephas homine obuio forte in ſolitudine, & ſimpliciter oberrãte clemens, placidusq. etiam demonſtrare viam traditur. Idẽ veſtigio hominis animaduerſo priuſquam homine, intremiſcere inſidiarum metu, ſubſiſtere ab olfactu, circũſpectare, iras proflare, nec calcare, ſed erutum proximo tradere, illũ ſequenti, nuncio ſimili vſque ad extremum. & tunc agmen circũagi, & reuerti, aciemq. dirigi: adeo omnium odori durare virus illud. & c.5. gregatim ſemper ingrediuntur. ducit agmen maximus natu, cogit ætate proximus. amnem tranſituri minimos præmittũt, ne maiorum ingreſſu atterente alueum, creſcat gurgitis altitudo. Antipater auctor eſt duos Antiocho Regi in bellicis vſibus celebres etiam cognominibus fuiſſe: etenim nouere ea. Certè Cato cum Imperatorum nomina annalibus deſcriberet, eũ qui fortiſsimè prœliatus eſſet in punica acię Suram tradidit vocatum; alterum dente mutilato Antiocho vadum fluminis experienti

rienti

A rienti renuit Aiax, alioquin dux agminis ſemper. Tunc pronũciatum eius fore principatũ,qui tranſiſſet: auſumq́. Patroclum ob id phaleris argenteis,quo maximè gaudent,& reliquo omnĩ primatu donauit. Ille,qui notabatur,inedia mortẽ ignominiæ prætulit. Mirus namque pudor eſt, victusq́. vocem fugit victoris, terram ac verbenas porrigit. pudore numquam,niſi in abdito coëunt mas quinquennis,fœmina decennis. Initur autem biennio, quinis (vt ferunt) cuiuſque anni diebus, nec amplius. Sexto perfundũtur amne, nõ ante reduces ad agmen.neq; adulteria nouere,nulla úne propter fœminas inter ſe prœlia,cæteris B animalibus pernicioſa. non quia deſit illis amoris vis: namque traditur vnus amaſſe quandam in Ægypto corollas vendentẽ. ac nequis vulgariter dilectam putet,miretur gratã Ariſtophani celeberrimo in Grammatica. alius Menandrum Syracuſanũ incipientis iuuentæ in exercitu Ptolomęi,deſiderium eius,quoties non videret, inedia teſtatus. & vnguentariam quandã dilectam Iuba tradit. Omnium amoris fuere argumenta, gaudium à conſpectu,blanditiæque inconditæ, ſtipesque, quas populus dediſſet, ſeruatæ,& in ſinum effuſæ. nec mirum eſſe amorem,quibus ſit memoria.Idem namque tradit agnitum in ſene-C cta,multos poſt annos, qui rector in iuuenta fuiſſet. Idem diuinationem quandã iuſtitiæ. Cum Bochus Rex triginta elephantis,totidem,in quos ſæuire inſtituerat,ſtipitibus alligatos obieciſſet,procurſantibus inter eos,qui laceſſerent, non potuiſſe effici,vt crudelitatis alienę miniſterio fungerentur. Hæc Plinius, qui deinde cap.7. refert eorundem certamina edita in theatris à Pompeio,narrans eos irruptionẽ tentaſſe,ne occiderent, aut occiderentur ab eis, quibuſcum concluſi erant pugnaturi, ſed amiſſa,inquit, fugæ ſpe miſericordiã vulgi inenarrabili habitu quærentes ſupplicauere,quadam ſe ſe lamentatione comploran-D tes,tanto populi dolore,vt oblitus Imperatoris,ac munificẽtiæ honori ſuo exquiſitæ flens vniuerſus conſurgeret,diraſq́. Pompeio,quas ille mox fuit,pœnas imprecaretur.

Ac talis elephantorum natura ingenij,clementiæ,amoris,fideiq́. plena;adde etiam,religionis imitationẽ præſeferens.Erit igitur homo in terris, cui magis placeãt ſerpentes, aut ſiquæ efferatiores inueniuntur, ac produntur beſtiæ, quàm elephãti? Annon docebunt nos belluæ,quãdo à ſapientibus nolumus edoceri, obſeruantiam promiſſorum, manſuetudinem, pietatem, iuſtitiã? Numquid feris erimus, aut eſſe volemus efferatiores?

Addu-

Adducamus itaque in Vrbes, in domos, in cubicula, in viſcera, ſi placet alicui, venenatos angues, vulpes, lupos. Quid verò agent, ſi adduxerimus? Nonne noſtra, ac nos ipſos enecabunt, diſcerpent, comedent? Quis aſpidas elephantis, eorum vitã præponet iſtorum vitæ? Age doceant nos apes minima animalia, ſi grandia refugimus, & auerſamur. A

Solæ communes natos, conſortia tecta
Vrbis habent: magniſq. agitant ſub legibus æuum:
Et patriam ſolæ, & certos nouere penates:
Venturæq. hyemis memores, æſtate laborem B
Experiuntur, & in medium quæſita reponunt
Namque aliæ victu inuigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra ſepta domorum
Narciſsi lachrymam, & lentum de cortice gluten
Prima fauis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suſpendunt ceras: aliæ ſpem gentis adultos
Educunt fœtus: aliæ puriſsima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas,
Sunt quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti: C
Inq. vicem ſpeculantur aquas, & nubila cæli:
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.

Et

Cecropias innatus apes amor vrget habendi
Munere quamque ſuo: grandæuis oppida curæ,
Et munire fauos, & Dædala fingere tecta:
At feſſæ multa referant ſe nocte minores D
Crura thymo plenæ, paſcuntur, & arbuta paſsim,
Et glaucas ſalices, caſiamque, crocumq. rubentem
Et pinguem thiliam, & ferrugineos hyacintos
Omnibus vna quies operum, labor omnibus vnus.
Mane ruunt portis: nuſquam mora: rurſus eaſdem
Veſper vbi è paſtu tandem decedere campis
Admonuit: tum tecta petunt, tum corpora curant.

Fit

A *Fit ſonitus: muſſantq́. oras, & limina circum.*
Poſt, vbi iam thalamis ſe compoſuere, ſiletur
In noctem, feſſosq́. ſopor ſuus occupat artus.
Nec vero à ſtabulis pluuia impendente recedunt
Longius, aut credunt cælo, aduentatibus Euris:
Sed circum tutæ ſub mœnibus Vrbis aquantur;
Excurſusq́. breues tentant: & ſæpe lapillos,
Vt Cymbæ inſtabiles fluctu iactante ſuburram,
B *Tollunt: his ſeſe per inania nubila librant,*
Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem
Quod nec concubitu indulgent: nec corpora ſegnes
In Venerem ſoluunt, aut fœtus nixibus edunt.
Verum ipſæ folijs natos, & ſuauibus herbis
Ore legunt: ipſæ Regem, paruosq́ue Quirites
Sufficiunt, aulasq́ue, & cærea regna refigunt.
Sæpe etiam duris errando in cotibus alas
Attriuere, vltroq́ue animam ſub faſce dedere
C *Tantus amor florum, & generandi copia mellis.*
Ergo ipſas quamuis anguſtus terminus æui
Excipiat (neque enim plus ſeptima ducitur æſtas)
At genus immortale manet, multosq́ue per annos
Stat fortuna domus, & aui numerantur auorum
Præterea Regem non ſic Aegyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes
Obſeruant. Rege incolumi mens omnibus vna eſt:
D *Amiſſo rupere fidem; conſtructaq́ue mella*
Diripuere ipſæ, & crates ſoluere fauorum.
Ille operum cuſtos: illum admirantur, & omnes
Circumſtant fremitu denſo, ſtipantq́ue frequentes;
Et ſæpe attollunt humeris, & corpora bello
Obiectant, pulchramq́ue patunt per vulnera mortem.

Hucuſque vates, obedientiam, virtutumq́ue omnium mirabiliſsima officia in apibus deſcribens. An vllus hic fraudibus, an vllus inter eas inſidiis, arrogantiæ, libidini, vel ambitioni locus?

cus?& Macchiauellus vrgebit,impellet homines, & quidē Chriſtianos ad violanda religionis,fidei,iuſtitiæque iura omnia, vt aliquid,ſiue illud exiguum ſit,ſiue magnum conſequantur. Volet igitur nos eſſe multo ſtultiores intelligētia præditos, quam ſint rationis expertia animalia? multo efferatiores eſſe coget ipſis feris homines ad humanitatem natos? Et erit, qui huic credat,qui ſcripta ipſius legat,habeat,non ſpernat,abijciat,deteſtetur,comburat, & quantum poteſt vbique ad nihilum redigat? A

Atqui ſi omnes ſtudeant fraudibus, verba dent in iis,quæ agunt,conentur pro virili cæteris illudere,imponere,An non diſſoluetur omnis hominum cætus, tolletur omne commercium, in ſyluas,in ſpeluncas,in ſolitudines neceſſe erit abire? Maximè vero id continget,ſi Macchiauellum ſecuti mortales nolint eſſe mediocribus contenti,ac niſi ſummè boni poſſent euadere, peſsimi fiunt. Atqui paucisſimorum ſcimus eſſe, vt ad culmen virtutum peruenire,& in eo conquieſcere poſsint. B

Nam vitijs nemo ſine naſcitur optimus ille eſt
Qui minimis vrgetur——

Plerique igitur omnes contendent eſſe dirisſimi,quando māſuetisſimi non valent;rapacisſimi,cum liberalitatis apicem nō aſſequantur;laſciuisſimi,ex quo in omnibus veritatem non colunt,denique per quàm ſimillimi beſtiis efferatisſimis;non mediis,ſi quidem ſeruare in ſingulis rationis lineam non datur. Quid igitur humano generi fiet?non amplius erit humanū genus.Bibent omnes illa Circes pocula de quibus ille ait Vlyſſem laudans C

Syrenum voces,& Circes pocula noſti,
Quæ ſi cum ſocijs lætus,cupidusque bibiſſet
Vixiſſet canis immundus,vel amica lutoſus. D

Et ridemus deinde illas, quas Græci vocant, hominum metamorphoſis à Poetis decantatas,veneficia perhorreſcimus? Nonne hæc execranda veneficia, nonne ſunt hæ ipſorum hominum in ipſas feras deteſtandæ immutationes? Niſi eſſe optimus poſsim,peſsimus fiam? Sic quando inſtar Aquilæ haud licet videre,oculos eruam mihi? Auertat hoc Deus.cerui,damarumve celeritatem non aſſequor in curſu, num pedes, at crura mihi præcidam? Ita iubet ingenioſisſimus Macchiauellus, longisſimè

A giſsimè ſit à nobis iſte malus Dæmon,qui hæc illi,aut cuiuis ſuggerere eſt auſus?Equidem video,qui diuitias appetunt, niſi valeant pertingere ad Cræſi opes,aut Craſsi,haud tamen ſua profundere in fluuios.

Dum vitant ſtulti vitia in contraria currunt.
Eſt inter Tanaim quiddam,ſocerumque.Viſelli.
Eſt modus in rebus,ſunt certi denique fines,
Quos vltra,citraque vetat conſiſtere rectum.
B *Non poſsis oculo quantum contendere lynceus,*
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi,
Nec quia deſperes inuicti membra Glyconis
Nodoſa corpus nolis prohibere chiragra.
Eſt quoddam prodire tenus,ſi non datur vltra.

Ad ſummum concludamus nihil eſſe veritate,ac virtute,honeſtius,vtilius,iucundius ad imperia comparanda,tuenda,amplificanda,ad quoduis bonum mortalibus acquirendum,niſi eſſe vel ipſis beſtiis inſipientiores, efferatiores, atque infœliciores
C etiam maximo noſtro malo velimus; Quæ ſunt adeo vera, vt neque falſitas ipſa ſtare abſque veritate poſsit, nam quomodo aſſeuerari poteſt aliquid eſſe falſum, niſi verum ſit, ita eſſe? Tanta ſcilicet veritatis eſt efficacitas, vt neque poſsit eſſe aliquid, vt idem quatenus eſt, ſimiliter non ſit verum, inuicemq. ſe ſe iſta conſequantur. Vt iam conuenire cunctis ſciamus ad vllum gradum pertingere cupientibus, quod eſt de Regum Rege Chriſto dictum.

Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam deducet Pſal.44.
te mirabiliter dextera tua.

D

Oſtenditur imperium virtutis oppreſſæ, inermis, deſtitutæ omnibus auxilijs eſſe potentius ad homines ſibi ſubijciendos omnibus in rebus, quàm armatum, munitumq. omni humana potentia imperium. oſtenditurq. hoc Chriſti exemplo, qui imperium ſuũ commiſit Romanis Pontificibus, quorum plures, quàm è qualibet ſede, Martyres, & Sancti fuerunt, dans vt veritati æternæ contrarium lege vniuerſali præcipere non poſsit. Cap. X. A

SED redeat oratio nunc, vnde initium ſumpſit, B finiſque principio & omnium, & noſtro, atque iſtius denique operis coniungatur. Diximus ſupra in prohemio, Virtuti Heroicæ, ac Diuinæ imperium ſummum deberi. ad quam duo pertinent, vt faciat homines virtutibus actiuæ beatitudinis præſtantiſsimos ſupra humanæ conditionis mætam; & ijdem ſint in contemplatione cæleſtium toti, ex quibus fit, vt iſti longiſsimè, ac remotiſsima proſpicientes deuoueāt ſe Chriſti exemplo ad omnes pœnas excipiendas, ac duriſsima quæq; exantlanda, vt Deus hominibus placatus inſpiret illis diuinitatem, virtutes illas diuinas, aut quas poſſunt qualitercumque C attingere. Nunc igitur nobis aperiantur cælitus arcana nobiliſsima, & occultiſsima Chriſtianæ religionis, vt videamus euidentiſsimè à veris virtutibus, non à ſimulatis imperia pendere.
Ecl.3. Chriſtus itaque eſt is, de quo Sybillæ cecinerunt excipiente Latino poëta.

Magnus ob integro ſæclorum naſcitur ordo.

Et

Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Et D

Pacatumq. reget patrijs virtutibus Orbem.

Idem Chriſtus Deus, & homo non modo fuit diuiniſsimarum virtutum pleniſsimus, non enim accepit ſpiritum ad menſuram Deumq. vidit ex eo momento, quo conceptus eſt, ſed vt generi humano feliciſsimè foret, illud repleretur ijſdē virtutibus, ignominias pertulit acerbiſsimas, tormēta diriſsima cruci affixus. quid aſſecutus eſt? ſi poſuerit pro peccato, inquit Deus apud
Cap.53. Iſaiam, animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini

A mini in manu eius dirigetur. Pro eo, quod laborauit anima eius videbit, & ſaluabitur, in ſciētia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt; & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus orauit. Hæc diuinus vates prædicens futurum, vt Chriſtus ob eam cauſam ſit fortium victor, ſubijciat ſibi eos, atque eorum ſpolia veluti triumphator in bello diuidat, quin Dei volūtas ſit in ipſius manu, quod in ſe ſuſceperit aliorum peccata, iniquitates alio-
B rum portauerit, non curauerit ſceleſtus in cruce reputari, vt eos iuſtos efficeret, virtutibus ſcilicet adornaret. in iuſtitia namque vniuerſali virtus omnis continetur, quod ille Græcus dixit.

> Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετ' ἐστὶ
> *In iuſtitia collectim eſt omnis virtus.*

At vates alter ſic inducit Deum loquentem, vt Chriſtus in Pſal. 109.
cælo conſtituatur ad eius dextram, ponantur inimici ipſius inſtar ſcabelli ſub pedibus, ſceptrum Regiæ poteſtatis emittatur
C è monte Sion, ac dominetur in medijs hoſtibus, confringantur ad eius dextram Reges, & alibi, dentur ei gentes quaſi hereditariæ, ac termini terræ, quos poſsideat. Rurſus aliàs, ſagittis acutis inimicorum corda transfigat, populi cadant, eius ſponſa conſtituat principes ſuper omnem terram. Verùm propius inſpiciamus quodnam ſibi imperium Chriſtus virtutibus diuiniſſimis compararit.

Pſal. 2.

Pſal. 44.

In primis igitur hoc eſt adeptus ob acerbiſsimam mortē, ſæuiſsimos cruciatus, ignominias indigniſsimas, quas ſubiit pro
D genere humano virtutibus diuinis adornando, vt ipſe coleretur ab innumeris gentibus toto Orbe diffuſis, atque haberetur, vti eſt, verus Deus naturæ omnino eiuſdem cum Deo Patre. Qua in re ſunt nobis obſeruanda multa, veluti maximè admiranda. Primum verò ſit illud, ad huiuſmodi honores perueniſſe Chriſtum non armis vllis, non opibus, non illecebris voluptatū proponendis, ſed veritatis ſolius profeſsione aſſerenda, ac virtutis diuiniſsimæ, qua vitam, & cuncta, quæ habebat, poſuit pro hominibus ad diuinitatem perducendis, exiſtimatione, ac ſplēdore. non ita vel antiqui falsò habiti Dij, vel Imperatores, ac Reges, Secundum ſit hoc virtutis huius imperium fuiſſe poten-

tiſsimum; nam compulit innumeros toto Orbe, è qualibet cognita gente, & quidem ſapientiſsimos, ac potentiſsimos, vt vitam, & quæcumque habebant omnia profuderint, nequam vel minimam ſignificationem darent, Chriſtum non haberi ab ipſis pro Deo, vel non eſſe veriſsima, quæ ſiue ipſe ſtatuit, ſiue ipſius Eccleſia Pontifici Romano ipſius Vicario adhærens. En quanta vis Heroicarum virtutum, quanta veritatis. nihil ſimile legimus in tota antiquitate. quid ſimile? innumera ſunt nobis Martyrum millia huiuſmodi. His ſimilem neque vnum poterit aliquis producere è toto Orbe, è toto æuo, qui pro falſis Dijs hæc ſit auſus. Tertium ſit. Aduerſus hanc inermen veritatem, diuiniſsimas haſce virtutes Orbis totus, impietas totius antiquitatis, fabuloſi Dei, ſimulatio, mendaciumq. modis omnibus, cunctis viribus pugnarunt, ſed nihil illius expugnarunt. Deiectus eſt è Capitolio Iuppiter cum Tartarea Deorum, qui vocabantur, caterua, detruſus ad inferos, toto Orbe exterminatus. quanam re, quo imperio? Crucis, per quam nobis deſignatur heroicarum virtutum complexus à Deo per Chriſtum deſcendens in humana pectora Chriſtianæ religionis, catholicæq. fidei ſacramentis delibuta. A B

Neque verò nobis omittendum Chriſto dari primas à Mahometanis inter ſuperos poſt Mahometem, coliq. ab ipſis. Ita vt quando Catholicis eſt tertia pars Orbis ſubiecta, reliqui verò magnam partem Mahometani tenent, non ſit homo, cui maior ſit, aut fuerit honor vmquam in terris, quam Chriſto. Sed Mahometani eripiunt Chriſto crucis vexillum, nõ enim volunt eũ cruci affixum, reputant id contumelioſum. Atqui hic excellentiſsima virtus, an non laudatur. C

Codrus pro patria non timidus mori? D
Et
Non ille pro caris amicis,
Aut patria timidus perire?

Chriſtus obijt pro inimicis ipſis, atrociſsima pro cũctis mortalibus haud veritus eſt ſubire. cuius deinde exemplum ſunt innumeri ſecuti, ex quo ſæclorum magnum ordinem numeramus ab integro poſt eius ortum, poſt annos mille quingẽtos nonaginta tres.

Imperium porrò ſuum Chriſtus bona diuina, atque animi noſtri intima potiſsimum complectens, ſimulatq. ad ſuperos aſcẽdit

A dit Petro, ac ſucceſſoribus eius Pontificibus Romanis commiſit, vt ſigno de Petri cathedra aperuimus. hoc Romæ fundatum tam latè ſemper pertinuit, vt Tertullianus dixerit ætate ſua po mœria ipſius longius protenſa, quàm Romanæ ditionis ad externa bona ſpectantis. ob id Proſper dixit, nihil non ab ipſo poſſeſſum.

Sedes Roma Petri: quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundi, quidquid non poſsidet armis
Religione tenet.

B Quin hoc fuerat longe ante à Sybillis prædictum. ſic enim vates Latinus de Chriſto quaſi iam tum naſcente.

Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primùm
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo
Caſta faue.

Quid verò ait auream gentem toto mundo naſcituram, non aliqua ipſius parte? cur auream? nimirum, quod tantæ erit, ac tam perfectæ virtutis, vt nullus ignis tormentorum quidquam poſsit quodammodo in illa impuri, atque alieni reperire, excoquere, & abſtrahere. addit toto mundo. Nam licet quoad externa bona plurimi populi obediant Regibus aliis; quoad animas tamen Romano Pontifici: quin etiam quoad alia quęcumcumque illa ſint, quatenus neceſſariò ad prima referuntur. Dedit autem ſedi huic diuiniſsimum priuilegium. licet enim Pontifex eſſe ipſe malus poſsit, fari, ſcribere, & efficere flagitioſa, & falſa. numquam tamen aut potuit, aut poterit ille vniuerſali lege, qua cunctos Chriſtianos obliget, ſancire aliquid contrarium veritati æternæ immutabilium rerum, quod aduerſus hæreticos nos multis confirmamus vnà cum ſapientiſsimis, ac D doctiſsimis viris ſigno de Petri cathedra, & ſanctionibus vniuerſalium conciliorum.

Et quamuis ad imperium tantum pertingens ad cæli ſuprema culmina ſint indigniſsimi quandoque euecti; nihilominus ſedes hoc priuilegio munita perſtitit. Neque verò defuerunt illi ſanctitate eminentiſsima ornatiſsimi Pontifices, quin nulla ſedes eſt, quæ tot Martyres, tot innocentia, miraculiſq. illuſtres Antiſtites protulerit, quot Romana. Amplius plurimæ ſunt, atque ampliſsimæ regiones, quæ non tot edidere Præſules huiuſmodi, quot iſta. nam viginti ſeptem numerantur ex illa, qui

cru-

crudeliſsima perpeſsi, vt veritatem proderent, potius vitæ detrimentum, rerumq. omnium humanarum facere voluerunt, quam leuiſsimum ſignum dare abiectæ virtutis. Præter hos autem recenſentur quadraginta quinque Pontifices Sanctorum numero adſcripti, virtutibus præditi omnino cæleſtibus. Eos nos ſingillatim nominauimus ſigno de prudentia politica 32. cap. 3. lib. 8. de ſignis Eccleſiæ Dei. ac plures quidem forent, niſi mos eſſet, vt cælitibus haud adnumerentur, niſi qui miraculis florent. at hæc non adeo nunc ſunt frequentia, quod ſigna dentur infidelibus, ait Paulus, Pontifices autem Romani iam degũt inter fideles, quando Romani in primis, atque Itali ſunt maximè Chriſtiani. Cum fuerit itaque de imperio Chriſti prænunciatum & illud. A B

Ipſe Deum vitam accipiet, Diuosq; videbit
Permixtos Heroas, & ipſe videbitur illis.

Chriſtus noua progenies cælo demiſſa, accepit cælitum vitam virtutibus ſcilicet altiſsimis excultam, contemplatione æternorum fulgentem, illamque ad mortales adduxit. His tot Romani Pontifices eminuerunt. & innumeri ſectatores, vt oſtẽdemus, eorum ſubiecti imperio. Sed quis hic poſsit enumerare quot, ac quantis ſemper tempeſtatibus inconcuſſa Pontificum Romanorum ſedes, quaſi Petra firmiſsima aduerſus irruentes fluctus, fuerit impetita? Numquam ceſſere illi, vbi de religione, ac veritate æternorum ſtabilienda eſt actum. Sed his de rebus infra commodiori loco. ſatis nunc ſit dixiſſe. hæc duo diuinitus data imperio Romani Antiſtitis, vt numquam poſsit niſi veritatis edicta promulgare Chriſtianis omnibus credenda in iis quæ ſunt vniuſmodi ſemper, atque immutabilia, neque pro temporum, locorum, rerumque aliarum diuerſitate variantur, ſicut etiam Deus leges, ac præcepta variare ſolitus eſt. Eadem ſic abhorret à mendaciis, vt decreuerit nullas ob cauſas vnquã licere alicui mentiri, quamuis certo ſciret inde omnium maxima bona ſecutura. interdũ fas eſt quidẽ veritatem verbis ambiguis operire, quæ ſenſibus noſtris reſpõdeant, quamuis non audientiũ, nõ tamen id ſemper licet. vbi ſolum quis importunè interrogatur & magnum damnum crearetur è veritatis aperta profeſsione aut in ſimili cauſa. quòd tamen non admittitur, vbi de contemptu diuino agatur, ac religionis aſſertione; tunc enim palàm detegenda, ac vita etiam ponenda. Quamuis igi- C D

tur

A tur multi permiſerint officioſa mendacia , & in his Plato lib.3. de Rep. melioris notæ Philoſophus; Auguſtinus tamen duobus libris contra Creſconium ſecus tradidit,atque ita Innocentius Tertius definiuit.cap.3.de vſuris. At veritas eſt animi præcipuum,potiſsimumque bonum,pertinens ad intelligentiam noſtri ſupremam,diuiniſsimamque partem , ſic enim vocauit , vt in prohemio dicebamus,Ariſtoteles.quin bonum ſtare haud poteſt,niſi ſit etiam verum,mutuoque hæc ſe conſequuntur. Hinc etiam Romanus Pontifex nemo hæreticus fuiſſe conuincitur , vt alibi probauimus.Denique nulla epiſcoporum , vel aliorum
B ſeries fuit,quæ tot ſibi in eadem poteſtate ſuccedentes habuerit vel martyres , vel Sanctos . Sed adhuc maiora inſpiciamus vt appareat illud iure à Sybillis præſignificatum.

At ſimul Heroum laudes,& facta parentis
Iam legere,& quæ ſit poteris cognoſcere Virtus.

Anteà namque ignorabatur , quæ virtus foret , quoad plurima,& maxima ignorabantur facta Omnipotentis atque æterni Patris,ignorabantur genuinæ Heroum laudes . Nunc è ſede Petri per merita,ac munera Chriſti in illa imperantis hæc om
C nia ſciuntur,cum ſit illa tamquàm Sol in conſpectu Dei,& ſicut Pſal.88.
Luna perfecta in æternum,& teſtis in cælo fidelis .

Exemplis eorum,qui referuntur in ſuperos à Pontificibus Romanis , ac bonis acquiſitis per omnes terras Septemtrionis , imperijsque, ac regnis earum concluditur virtutem veram cunctis præeſſe. Cap. XI.

CVm ſit itaque admirabiliſsimum , quì fieri po-
D tuerit, vt Chriſtus ad tantum religioſi cultus honorem peruenerit , tantum ſibi in animos imperium vendicauerit , quo nullum maius; quando nullis armorum terroribus homines ad id inflexerit, adduxerit, compulerit . quin potius omnibus modis fuerit aduerſus ipſum pugnatum, propoſuerit ipſe omnia dura , damnoſa , acerba in terris gregi ſuorum.ſequitur aliud ſimile . Cælo cõſecrabantur prius,quinam?Bellica fortitudine præſtantes,voluptuaria multa reperientes,& quæſtuoſa , ſed ijdem cõtaminati plerumque

vitiis infandiſsimis. Nam quis ignorat, quæ de Ioue, Saturno, Marte, Venere, Mercurio ſimilibusve narrantur? Meliores credo Heroes. Num forſan Hercules cum ſuo Hyla, & Deinaira. num Liber ebrioſus? Aegyptij forſan cum ſuo Anubi, cæpe, allio, & portentoſis huiuſmodi. Romani cum Romulo latrone, fratris occiſore, aut cum Diuis illis Octauiano, Fauſtina, Antinoo, & ſimilibus. Vere igitur cecinit Sybilla, nam quid ſibi voluerit Virgilius, forſan in quęſtionem reuocari poſſet, poſt ortum Chriſtum poteris homo legere, & cognoſcere, quæ ſint Heroum laudes, quid ſit Virtus. quæ ſint Dei, nō hominum, Dæmonumve facta. A B

Aſpice quibus Pōtifex Romanus Chriſti Vicarius, Petrique ſucceſſor decernat cæleſtes honores, aſcribat cælitibus, vt videas quod ſit imperium virtutis in animos hominum, quoad bona maxima in terris, num forſan Pontifices Romanos, à quibus aliquid acceperit beneficij, fuerit Epiſcopus factus, aut Cardinalis? vt verbi gratia Octauianus in Diuorum numero poſuit Cæſarem auunculum, Antoninus Pius Adrianum, aut alter Antoninus Philoſophus Fauſtinā multis adulterij criminibus, quę ille haud ignorabat, obnoxiā, quamuis ſapientiam maximā profiteretur. numquid hoc egit Vicarius Chriſti? nihilminus. C nos enim, ſiquis è Papis eſt flagitioſus, improbamus, arguimus, facta ipſius reſcindimus, irrita, ac nulla facimus, quæ non ſunt æternæ veritatis lege vniuerſali ſancita, In his enim labi haud poteſt. Referuntur in ſuperos illi, qui reuera humanarum rerū deſpicientiſsimi, virtutibus diuinis excellentiſsimi, toti fuerint in cæleſtibus meditandis, atq; humano generi, quà datur, procurandis, quamuis alioquin iſti fuerint abiectiſsimi, ac nullius habiti quandoque inter homines pretij. Hos fouit, amplexata eſt, extulit ad cælum ſedes Petri, tamquam faces ardentiſsimas, aſtra in mediis tenebris fulgentia, prætendit mortalibus in nocte vitæ huius errantibus. Iam nunc igitur homo cognoſcere D poteris, quæ ſit virtus, quæ ſint Heroum laudes, quæ facta Supremi Parentis; ſic enim Chriſtus illum rogauit. Ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Vt igitur Pontifex aliquis Romanus per ſe non polleat ſapientia, quando tamen eſt in eo ſolio, diuinitus hac adornatur, vt aliorum recta & facta, & dicta quoad vniuerſalium decretorum promulgationem, & executionem, ſanctionibus ſuis amplectatur.

Ioan. 17.

putes

A *Οὗτος μὲν πανάριςος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει*
Φρασσάμενος τὰ κ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ἦσιν ἀμείνω
Εσθλὸς δ' αὖ κακεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Hic quidem optimus, qui per ſe omnia cognoſcit
Intelligens ſequentia, & quæ in fine futura ſunt meliora
Bonus autem rurſus & ille, qui bene momenti paret.

Quos igitur ſuperis aſcripſit Pontifex Romanus, ciectos ab
aliis excepit, deſpectos euexit? En Auguſtinus ille Magnus La-
B tinorum lumen, quem reddidit Italia veritati. En Benedictus
Romæ educatus. En quot eum ſidera quaſi Lunam circumſtāt,
aut quaſi à Sole lucem mutuata noctem vitiorum fugant. En
Franciſcus prope Romam natus, en quaſi Regem, quot, ac quā-
ti eum Proceres nobiliſsimi ſequuntur. An Brunonem Carthu-
ſianorum Parentem præteribimus, qui in Calabria vixit, ac de-
ceſsit? An Dominicū, qui ſuis Hiſpaniis relictis in Italiā venit,
& Bononiæ defunctus eſt? An Ignatium Loiolam cunctis pro-
pe in locis malè habitum, ſiue vndique expulſum, ſola verò in
Vrbe confidentem? An plurimos huiuſmodi ordinum religio-
C ſorum parentes, Franciſcum Paulanum, Bernardinum Senen-
ſem, Romualdum Rhauennatem Camaldulenſium auctorem
Laurentium Iuſtinianum Canonicorum ſuorum, Albertum, &
Angelum Carmelitarum? Quis hic enumeret innumeros horū
ſectatores præclariſsimis, ac verè Heroicis geſtis ex omni par
te fulgentiſsimos. numera ſi potes cæli ſtellas, arenam maris.
En quantum virtutis imperium. Numquid iſti illecebris homi-
nes in ſua caſtra traxerunt, an bellorum, pœnarumúe vllis mi-
nis, an mercaturæ, vel artium quarumlibet quæſtubus? duriſsi-
mas ſuis iſti leges edixerunt. ſolo virtutum ſplendore à deli-
D tiis, ab opibus, ab honoribus ſummis, à regnis, & imperiis pluri-
mos ad aſperum viuendi genus adduxerunt; vt verè dici de il-
lis queat, & eorum virtute.

Quiſnam igitur liber? ſapiens: ſibi qui imperioſus:
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, & in ſeipſo totus teres, atque rotundus:
Externi ne quid valeat per ſæpe morari.
In quem manca ruit ſemper fortuna.

S Quid

Quid hic exercitus immenſos mulierum, Virginumq. commemoremus? Quot Roma produxit ex eis Martyres, quot Italia, Europa, Africa, Aſia, ac cæteræ noſtris etiam temporibus regiones, quæ nulla tormenta exhorruerunt, nulla non ſuperarunt, vt veritatem tuerentur, & inuicto mentis, corporisq. ſui robore poſteritati commendarent? De Romanis extat liber eruditus, & pius Antonij Gallonij presbyteri noſtræ Congregationis à quo habemus, & alium quo continentur atrociſſima tormẽtorum genera, quo noſtri excrucibantur ab impijs, & adhuc excruciantur in Anglia, ac multis Aquilonarium regnorum locis. Hoc ſcilicet imperium virtutis, cui Chriſti nomine Præſidet in terris Pontifex Romanus, à vitioſis honeſta, à vituperandis laudabilia diſtinguens vniuerſalibus ſanctionibus, in quibus errare non poteſt, vt in cæteris quandoque ſecus euenire concedamus. A B

Ab his porrò non modo obſcœniſsima inferorum, ſic enim vocandi, ne dicamus falſo cum priſcis illis, Deorum monſtra, & ſacra depulſa, Ab his efferi mores gladiatorum, ac leges multæ atroces Romanorum ſublatæ de quibus alibi à nobis eſt fuſius dictum ſigno de gentibus efferis ad humanitatem perductis vigeſimo octauo, libro ſeptimo cap. 4. ſed hęc minora in Vrbe, niſi ſanguinem eorum bibere ſoliti eſſent in theatro in conſpectu omnium, quicumque voluiſſent, ſeruos caueis includere, qui pugnarent cum beſtiis, eoſdem, liberosq. etiam proprios impune pro libito interficere; creditores, qui ſoluendo non eſſent plumbatis cædere. quæ ſanè omnia in moribus poſita fuiſſe cũ multis aliis toto Orbe Romano aperuimus lib. 11. cap. IV. de antiquo, & nouo Italiæ ſtatu. Nunc age ad loca Septentrionis ſupra Rhænum, Danubiumq. poſita, quæ conficiunt duplum reliquæ Europæ, accedamus, intueamurq. non modo adducta per Catholicæ religionis ſeminatores, ac ſtudioſos animi excellentiſſima bona, ſed corporis atque externa. C D

A Francis adhuc ætate ſua vult Procopius lib. 2. de bello Gothico ſolitos homines ſacrificari. idem factitatum à Nothmannis, ac Danis placet Diethmaro lib. 1. ab Anglis Sidonio ep. 6. lib. 8. & à Lithuanis Cromerio lib. 15. quin ſcribit Radeuicus lib. 3. cap. 1. à populis Polonicę genti finitimis prope Balthicum mare conſueſſe comedi carnes humanas.

Quis iſta depulit? ex quo tempore depulſa? niſi ex quo Romani Pontifices eò miſere ſuarum legum ſectatores virtutibus diui-

A diuinis eminentiſsimos ad ea loca Chriſtianæ pietati conciliā-da. vt latè oſtendimus ſigno de decenti felicitate Catholicorum 93.lib 22.

Litterarum porrò nulla erat olim cognitio gentibus cunctis ſupra Rhænum, Danubiumq́. ſitis, quod Tacitus libello de moribus Germanorum teſtatur.

Populis nullæ olim certæ ſedes erant, vt idem ſcribit. & Strabo lib.7. ſolo lacte, ac pecore viuebant, quod Cæſar lib.4. Mela.3. cap.11. tradunt. nullæ illis domus, vt refert, præter eoſdem, Seneca libro de gubernatione mundi. Herodianus in Maximino.

B Quin Iornandes genere ſiue Alanus, ſiue Gothus, qui temporibus Iuſtiniani viuebant, ita ſcriptum reliquit libro de rebus Geticis cum de Britannis loquitur. inculti æquè omnes populi, Regesq́. populorum.] & mox. Virgeas habitant caſas, communia tecta cum pecore, ſyluæq́. illis ſæpè ſunt domus] de cæteris autem nationibus ſupra Germaniam ſitis, carnibus tantum viuunt.] & rurſus, hi omnes exeſis rupibus, quaſi caſtellis inhabitant ritu belluino. Cæſar certè lib.5. & Strab.4. volunt Vrbes à Britannis vocatas ipſa nemora, quæ foſsis circumdarentur, atque arbores ſuis locis, ſpatiiſq́. diſcluſas haberent, quæ imple-

C xis ramis homines ſubtus habitantes ab imbribus, ac niuibus qualitercumque tuerentur. & quamuis Romani condiderint, deinde aliquas in Britānia colonias, euerterunt illas Angli, redituſq́. factus ad antiquas ſolitudines, & vaſtitàtes.

Iam verò ſolum fuiſſe infecundum, ſterilemque terram Germanis olim teſtantur Seneca Hiſpanus libro de gubernatione mundi, Mela item Hiſpanus lib.3.cap.2. Herodotus Halycarnaſſeus lib. 4. Strabo Cappadox. 7. Procopius Cæſarienſis Syrus oratione ſecunda de ædificiis Iuſtiniani.

Quis autem nunc credat, quod dicturi ſumus, nullas illis fo-

D dinas auri, argenti, ferri, aut æris fuiſſe? argentum, inquit Tacitus, & aurum propitij an irati Dij negauerint, dubito] & mox. ne ferrum quidem ſupereſt.] quamuis itaque forent aliqua terris illis incluſa metalla, fodinæ quidem non erant.

Iam tot erant olim alienarum gentium in Germaniæ loca irruptiones, vt ſigno 93. c.7. enumerauerimus vigintiquatuor intra annos mille ducentos, cum tamen ex quo miſsi ſunt à Romano Pontifice, qui regiones illas Chriſto conciliarent per annos octingentos, ac plures, nullæ potuerint in eas irrumpere.

In vniuerſum verò quanta feritas eſſet, & quam belluina vi-

ta Hunnis, Neuris, Gelonis, Agathyrſis, Melanchlænis, ac cæte- A
ris Sarmatiæ, Septentrionis, & circa Iſtrum habitantibus popu
lis cognoſcere poſſumus ex Ammiani lib. 31. Procopij 2. & 3. bel
li Gothici. Helmoldi 1. cap. 52.

Admirandum ſit itaque tantum fuiſſe virtuti Chriſtianæ poteſtatem, tātum fuiſſe illius imperium, vt effecerit intra annos prope ducentos, in regionibus ſupra Rhænum, Danubiumq. ſitis, poſtquam miſit eò ſuos Pontifex Romanus, quod tota antiquitas haud potuit intra tot annorum millia ab Orbe condito. En igitur, vt adſint nobis Heroicæ virtutes, vt ab ijs non modo pendeant animi bona, ſed corporis, ac reliqua externa. Nam B
quis ignorat quāta ſit humanitas Borealibus populis, niſi exuerint eorum multi illam, poſtquā defecere à fide Catholica? quis ignorat quanta ſit omnium diſciplinarum, artiumq. omniū notitia, & ſtudia? quot ab ijs ſint inuēta ad humani generis vſum? quam pulchræ, admirandæ, frequentes ſint Vrbes, ſint fœcundæ regiones? quot, ac quam fructuoſæ auri, argenti, ferri, æris, omniumq. metallorum fodinæ? Virtutis itaque veræ, & catholicæ imperio intercedēte pro feritate humanitas, pro belluinis moribus diuini, pro ignorantia cognitio, pro ſolitudinibus, ac vaſtitatibus Vrbium celeberrimarum frequentia, & magnificen- C
tia; pro ſterilitate fœcunditas; pro inopia diuitiæ ſucceſſerunt tam breui temporis interuallo.

Sed numquid hic finis? edantur quæſo Hungarici, Bohemici, Polonici, Suetici, Danici, Scotici, Anglici Reges ante diſſeminatam per iſta loca religionē Chriſti à ſtudioſis Pontificiæ ſedis. relegantur euenta omnia iſtarum regionum ſurſum verſus ſæcula retracta repetendo. ac videbimus numquā fuiſſe in huiuſmodi terris adeo diuturna nobilia, potentia, magnificaq. regna ab ortu mundi vſque ad illud tempus, quo Pontifex miſit ſuos ad propagandū Chriſti cultum in eis, vel ex quo obediunt Pon- D
tifici Romano.

Nam quid dicemus de imperio Germanico? An aliquid vmquam vel momento temporis fuit in Germania à mundi fabricatione per tot annorum millia ſimile imperio, quod nacta eſt ex quo virtutes à Romana ſede præſcriptas, normamq. legum inde emanantiū ſequitur? En igitur, vt imperia pendeant à veris virtutibus non ſimulatis, portendanturq. non modo ad animi bona, ſed omnia quæcumque corpus, ac noſipſos illa circunſtant.

Impe-

A *Imperio Catholicæ virtutis loca inhabitalium zonarum factæ ſunt poſt ortum Chriſti habitabilia, ſimiliter Indiarum Occidentalium loca exculta, & ambitus Orbis terrarum circundatus poteſtate eiuſdem.*

Cap. XII.

SED numquid hic finis erit in explicando imperio verę virtutis? totius telluris bona ab illo pē
dent. Age hoc valde mirabile expendamus, &
B ante oculos legētium ponatur à nobis. antiqui
omnes tradiderunt, veluti exploratiſsimū, loca
omnia zonæ torridæ, ac duarum, quæ frigidæ vo
cantur ad Auſtrum, Boreamq́. poſitæ, fuiſſe ſemper inhabitabi-
liæ. Nunc eſt compertiſsimum tres haſce zonas habitari. Quo-
circa multi volunt antiquos deceptos, neque illis fuiſſe cognitā
conditionem illarum. Id ſanè eſt ridendū quod latiſsimè oſten-
dimus lib. 15. cap. 18. de Signis Eccleſiæ Dei. nam per annos bis
mille quadringentos, & amplius potentiſsimi Reges, celeberri-
mę nationes, Philoſophi, Hiſtorici, Geographi, viriq́. curioſiſsi-
C mi acceſſerunt ad ea loca, & vſu compererunt, eſſe pleraq; om-
nia inhabitalia. quin ij, qui ſcrutati ſunt hæc, omnium celeber-
rimi Reges fuerunt, Oſyris, Rhames, ac Seſoſtris, Nechao Ægy-
ptiorum Reges; Cambyſes, ac Xerſes Perſarum; Alexander, ac
Ptolomæi Græcorum; Cæſar, Octauianus, Neroq́. Romanorū;
Nationes etiam celeberrimæ id rimatæ ſunt Hebræi, Tyrij, Car
thaginenſes: Geographi præſtantes eò ſe contulerunt, vt rem
perſpicerent Dalion, qui vltra Meroëm zonæ torridæ Vrbem
progreſſus eſt, Simonides minor, qui in Meroë commoratus eſt
quinquennio, Timoſthenes claſsium Regis Philadelphi præfe-
D ctus, Iuba Mauritaniæ Rex, & alij, quorum meminit Plinius lib.
6. cap. 29. à quibus omnibus eſt conſtantiſsimè ſcriptū loca om-
nia zonæ torridæ plerumque deſerta. Idem tradunt Herodotus,
ac Polybius, qui ad illa loca acceſſerunt.

In primis verò Oſyris Ægypti Rex anno propè centeſimo
antequam Iacob in Ægyptum deſcenderet, copias innumeras
ſecum ducens, ad Iſtri fontes, & Oceani fines peruenit, & loca
deſerta reperit, vt colligitur ex inſcriptione, quam fuiſſe in co-
lumna Nyſę montis Arabiæ tradit Diodorus lib. antiquitatum
1. & ex ijs, quæ refert Lucanus oſtendemus. Idem conquiſi-

uit

uit Rhames, vt habetur ex Ammiani Marcellini lib. 17. Strabonis 17. Cornelij Taciti 1. A

Claſsis porrò Salomonis traiecit oſtia maris Rubri media inter æquinoctialem circulum, & tropicum Cancri omnium calentiſsima. Tyrij ſimiliter Africam totam circumnauigarunt, & in locis, quæ poſſent habitari colonias excitarunt, reliqua zonæ torridæ ſubiecta prodiderunt eſſe deſerta. ſæpius verò illa circumierunt, vt habet Herodotus lib. 5.

Seſoſtris eodem modo illa adiit, qui regnante Roboam viuebat, & Nechao Reges Ægypti, & viderunt habitari non poſſe, vt habemus ex Herodoti libro & Strabonis 16. Quin olim Reges omnes Ægypti Thæbis domicilium fixerant, vt ex Herodoti lib. 2. & Strabonis 17. diſcimus, & indicat Homerus Iliados 1. & Odyſſeæ 4. neque diſtabant à zona torrida, niſi milliariis centum quadraginta plus minus. & conſtanter, vbi id inquiſiſſent, affirmarunt, non eſſe humanis habitationibus aptas regiones. Sed qui fieri poteſt, vt antiqui perſpectiſsimas iſtas oras non haberent, cum Mennonis Vrbs Regia ſedes Æthiopum fuerit in ipſo zona torrida? Strabo in illa fuerit, vt apparet lib. 17. Herodotus illa loca peragrauerit, vt eſt eius lib. 2. & 5. & prodiderũt omnes tamen non poſſe ibi mortalium ſedes haberi? B C

Cambyſes peruenit vltrà Meroëm, quæ intercipitur media ab Æquinoctiali circulo, & Cancri tropico, tantumq́. ſterilitatis, ac ſolitudinis vbique inuenit, vt innumeris amiſsis, regredi coactus ſit, quin ſuorum quoſdam necauit, vt eorum carnibus veſceretur. quod Herodotus lib. 2. & Strab. 17. narrãt. Xerſes cum ſciret ob huiuſmodi expeditionem Cambyſis mediterranea deſerta, miſit Saraſpem, qui à freto Herculeo Auſtrũ verſus Africam circumiret, is omnia feris ſolitudinibus horrentia cum ſuis inueniens, neque poſſe inclemẽtiam locorum ferri retro rediit, vt habet Herodotus lib. 4. D

Hanno Carthaginenſis Africam circumluſtrauit, & adhuc eius commentarij leguntur. ſcripſitq́. zonæ torridæ regiones exuſtas calore, qui conſiſtere haud ſineret homines in ijs locis. meminit horum Plinius lib. 5. cap. 1.

Herodotus fuit in ipſis Thębis, refertq́. libro ſecundo narrationem Regis Ethearchi Hammoniorum referentis quoſdam perſcrutatos ea loca, & vſu edoctos non admittere commodas hominum ſedes.

Alexander Magnus idem voluit cognoſcere, idemque percepit.

A pit.quocirca Ariſtoteles plurimis in locis aſſeuerat ,quod dicimus.

Ptolomæi claſſem viginti nauiũ plurimis hominibus inſtructam mittebant cõtinenter, qui peruadentes zonam torridam retulere idem.quod Strabo refert lib.17.

Cæſar eadem deſiderio incenſus haud diſsimilia perſpexit. quamobrem ſic ad illum ſacerdotes Ægypti, vt libro decimo canit Lucanus.

Quæ tibi noſcendi Nilum Romani cupido eſt,
B *Hæc Pharus, Perſiſque fuit, Macedumque Tyrannis.*
Nullaque non ætas voluit conferre futuris
Notitiam. ſed vincit adhuc natura latendi.
Summus Alexander Regum, quem Memphis adorat,
Inuidit Nilo, miſitque per vltima terræ
Aethiopum lectos, illos rubicunda peruſti
Zona poli tenuit. Nilum videre calentem.
Venit ad occaſum, mundique extrema Seſoſtris
Et Pharios currus Regum ceruicibus egit:
C *Ante tamen veſtros amnes Rhodanumque, Padumque,*
Quàm Nilum de fonte bibit. veſanus in ortus
Cambyſas longi populos peruenit ad æui,
Defectuſque epulis, & paſtris cæde ſuorum
Ignoto te Nile redit.

Syenè ciuitas eſt in oris torridæ Zonæ ſita: in ea Romani poſuerunt aliquot militum cohortes,quæ præſidio forent, aduerſus incurſationes Æthiopum.In ea fuit Strabo,vt ſcribit lib.17. Cornelius Gallus Poëta celebris, qui peruaſit intima Aethio-
D piæ cum Romanis militibus, amicus fuit Virgilij, & Horatij, ac niſi omnes cæcos dixerimus, videre, ac prodidere omnia deſerta, neque domos hominum ferentia.Hinc ille:

Pone ſub curru nimium propinqui
Solis in terra domibus negata.

Octauianus Imperator eadem voluit percipere. miſit Petronium cum multis militibus.qui longiſsimè progreſſus octingẽtis ſeptuaginta milliariis vltra Syenem retulit exuſta omnia, ac deſerta ob intolerandi caloris æſtum. vt conſtat è Plinio lib.

6.cap.

6.cap,29.Idem voluit & Nero experiri,& idem comperit,quod A
ille ſcribit;quin ibidem tradit inſulam Meroem, quæ includitur Zona torrida, dediſſe armatorum quondam ducenta quinquaginta millia, aluiſſe artificum quadringenta millia.ac dicemus iſtos omnes fuiſſe cæcos,qui referrent omnia deſerta, neque ab iis ſciretur an habitari poſſent circunſtantes terræ, cum priſci omnes affirmauerint non poſſe in illis homines commorari?

Quærimus igitur huius admirabiliſsimi euenti cauſam, cur poſtquàm Chriſtus eſt natus,ad eas regiones acceſſere Apoſtoli,in ijs Chriſti religionem diſsiminarunt, Matthęus in Africa, B
Thomas cis & vltra Indum,ac poſt hos alij, commodas mortalium ſedes admiſerunt.An non hoc imperium diuinæ Virtutis, quod vniuerſitati rerum,naturæ ipſi imperat? An non hoc Sybillæ prædixerunt alloquentes ipſum Chriſtum exemplar omnium virtutum fulgentiſsimum.

Aggredere,ò magnos,aderit iam tempus,honores
Cara Deum ſoboles magni Iouis incrementum.
Aſpice conuexo nutantem pondere mundum,
Terraſque, tractuſque maris, cælumque profundum C
Aſpice venturo lætentur vt omnia ſæclo.
& ante
At tibi prima puer nullo munuſcula cultu
Errantes hederas paſsim cum baccare tellus
Mixtaque ridenti colocaſia fundet acantho.
rurſus.
Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores:
Occidet & ſerpens,& fallax herba veneni
& paulopoſt D
Molli paulatim flaueſcet campus ariſta,
Incultiſque rubens perdebit ſenſibus vua,
Et duræ quercus ſudabunt roſcida melle.

Iſa.c.35. An non eadem cecinerunt diuini vates? lætabitur deſerta, & inuia,clamat ille,& exultabit ſolitudo, & florebit quaſi liliũ: germinans germinabit; & exultabit lætabunda,& laudans:gloria Libani data eſt ei:decor Carmeli,& Saron: ipſi videbũt gloriam Domini,& decorem Dei noſtri.]

AC

A Ac veluti in Septẽtrione ſunt à Chriſtianis excitata nobiliſſima regna, & imperia, qualia non fuerunt ab ortu mundi, poſtquàm Chriſtum cæperunt agnoſcere, Pontifici Romano obedire; ſic in iſtis Africæ locis. de quibus nos alibi fuſius. ea parent Regi, quem nonnulli vocant presbyterum Ioannem, cuius legati præſtiterunt obedientiã Clementi Septimo, & aliàs cuncti valde Catholici fuerunt, vt ex Aluareſij ſcriptis habemus, Oſorij, & aliorum. nunc multa in eorum legibus emendanda conſtat.

En quò ſe porrigit Chriſti virtus, Chriſti imperium. quid verò hic dicemus de Indiis Occidentalibus, & Orientalibus? Nũquid non prius in illis omnia ſquallebant, atque horrebant? Quid boni quæſo erat inter incolas earum regionum, ſiue animum, ſiue corpus, ſiue externa ſpectes? Nulla ijs ars, nulla diſciplina, littera nulla. Pudet referre obſcœniſsimos, & omnium diriſsimos mores. Inſtar omnium ſit illud, quod operis huius prohemio retulimus. pleriſque gentibus conſuetudinem fuiſſe ex ancillis ſuſceptos filios ad adultiorem ætatem perducere, vt pinguiores effecti occiderentur, coquerentur manibus parentum, dentibusq. eorundem (dictu horrendum) comederentur.

C Sic itaque Chriſti, ac Pontificis Romani imperium latiſsimè in omnes ſe ſe oras protendes ab Aquilone extremo in Auſtri ſupremas oras, circumplectens ob imperij Luſitanici, & Caſtellani amplitudinem telluris ambitum totum ab ortu in occaſum deuehens ſecum bona omnia palàm cunctis facit à veris virtutibus cuncta pendere, non à ſimulatis. per eos autem Reges, & Imperatores hæc ad exitum perducta, qui Pontifici Romano obſequentes, crucis Heroícas, germanasq. virtutes deſignantis vexillum diuinitus acce-
D perunt, quod cum notauerimus cap. decimo libri de robore bellico clarius adhuc infra à nobis aperietur.

Nullum regnum, vel ſedes tam potentes, & aduerſos, perpetuosq́. ſenſit hoſtes, vt Pontifex Romanus, aduerſus quem pugnarunt Imperatores gentiles, hæretici, ſchiſmatici, contumaces, ac frigidæ pietatis Principes. & tamen quò magis eſt impetitus eo] magis contrarium contigit eius, quod conabãtur illi, maioresq́; fecit progreſſus in humanarum rerum iuriſdictione; ex quibus fit imperia pendere à veris virtutibus, non ſimulatis. Cap. XIII. A

SI QVOD vmquam fuit imperium in terris, aduerſus quod omne propè dixerim genus hoſtiũ conſpirarit, illud eſt Chriſti, illud eſt eius Vicarij Pontificis Romani. nam veluti ſignum poſitum fuit, in quod iacula emittantur. & tamen quo maioribus eſt agitatum tempeſtatibus, eò potentius, ac pulchrius ad extremum poſt aliquot æſtus emerſit. B

Duris vt ilex tonſa bipennibus
Nigræ feracis frondis in Algido C
Per arma, per cædes ab ipſo
Sumit opes, animumq́. ferro.
Merſes profundo pulchrior euenit;
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretq́.
Prœlia coniugibus loquenda.

Videamus id eſſe veriſsimum. cognoſcamusq́. imperia pendere à cruce, à crucis doctrina, à veritate, quam ſancit Pontifex Romanus. D

Tercentũ ferè totos annos Romani Imperatores nihil aliud conati ſunt omnibus, quibus poterãt modis, quàm exſcindere à fundamentis Chriſtianam religionem, Pontificiamq́. ſedem, vigintiquatuor, & quidam numerant, Papas occiderunt. Num tot, ac tantis conatibus quidquam profecere? cõtrarium prorſus euenit. Audi an ita ſit, atque obſtupeſce. & in primis reuoca in memoriam Pontificibus nulla arma, nulla auxilia adfuiſſe humana.

Primo

A Primo igitur loco cuncti Imperatores plerumq; fuerunt occiſi, vt oſtendimus ſupra lib. 1. cap. 1. & quidem ſæpius à ſuis aut domeſticis, aut militibus, miſerabilemq. in modum.

Secundo poſt obitum ſimiliter plerique infamia notati fuerunt, ſummis ignominiis, & cõtumeliis onerati, quamuis nihil non cõtenderent, vt pro Diis haberentur, at Pontificibus, quos illi occiderunt, cæleſtes habiti ſunt, atque habentur adhuc honores poſt obitum toto Orbe Catholico per annos iam mille quingẽtos, paucioresúe, aut plures, prout ſcilicet vel remotius, vel propius ab ætate noſtra fuerunt interfecti.

B Tertio nullus Imperator ex illis ad nepotes agnationis ſuæ transmiſit imperium, quin neque ad pronepotes cognationis, cum tamen nihil æquè conarentur, atque hoc. excipiendus eſt ſolus Conſtantinus Chlorus amiciſsimus Chriſtianorum, Conſtantiniq. pater, cuius imperium peruenit ad nepotes.

Quarto Imperatores eripuere corporibus Pontificum Romanorum vitam. Deus autem dedit ijſdem corporibus, vt ipſa, ipſorumq. oſſa, & cineres, in maximo ab omnibus cultu haberentur; ad illa ſupplices acciderent Reges, & Imperatores ſummi, nedum conſeruarentur illæſa ab iniuriis temporum. Quin

C per eadem ſanitas ægrotis, & defunctis, aliquando vita etiam reſtitueretur.

Quinto mirabile eſt intueri, vt Deus à gente in gentem trãſferret imperium Romanum, quoties ab alicuius nationis Imperatore bellum moueretur in veritatis, ſolidæq. virtutis aſſertores Chriſtianos, & eorum Præſules ſummos. vt enim notauimus ſigno nonageſimo nono de ſignis Eccleſiæ Dei, à Romani ſanguinis Imperatoribus deuolutum eſt ad eos, qui Italici ſanguinis erant, Neruam, Veſpaſianum, Titum, Domitianum: ab his ad Hiſpanienſes Traianum, & Adrianum. Inde ad Gallicos

D Antoninum Pium Nemauſenſem, & poſteros quicunque ij fuerint; mox reditum ad Italicos, Ligures, & Mediolanenſes, nam tales fuere Heluius Pertinax, ac Didius Iulianus; His ſucceſſere Afri Septimius Seuerus, ac filij: ſic itaque nunc primum Deus Europam reliquit atq; Europæos, & in Africam tranſijt. verum ſublato Caracalla Deus in Aſiaticos imperiũ Romanum tranſtulit Heliogabalum, & Alexandrum Seuerum Syros. poſt hos ventum ad Thracas Maximinum patrem, ac filium; Sed his, & Gordianis extinctis, ad Arabas Philippos eſt deuolutum. Deinde his ſublatis excepere illud Pannones Decij: quibus perem-

ptis,ac Romani ſanguinis aliquibus,Illyricianiq. Claudio; Daci,vel Mæſi imperarunt, ex his enim fuit Aurelianus; neq; multo poſt Probus Dalmata rerum ſummam tenuit. Dein verò Carus, quem nonnulli Narbonenſem volunt, Cerilianus apud Vopiſcum ſcribit ortum Pœnis parentibus in Illyrico. ſed hoc Numerianoque,& Carino Cæſaribus ab eo creatis abſumptis,ventum ad Diocletianum Dalmatã , Maximianũque Pannonium Auguſtos,Galerium Dacum,Conſtantiumq. Chlorum Dardanum Cæſares,ac mox Auguſtos. A

Ad extremum denique Imperatoribus hiſce de medio ſublatis, quorum plerique falſo diuinitatis integumento , quam ſibi appellatione Diuorum, Templorum præterea conſtructione, ſacerdotum , ſacrorumq. inſtitutione audebant arrogare , imperium Romanum crucis vexillo eſt attributum, crucis inquã, cuius eſt non ſimulare virtutes, ſed eas potius occulere, modeſtiæ,humilitatiſq. velo,ſuſcipere in e non hon or ificas dignitates,ſed opprobria propter Chriſtum, Deumque, vt aliorũ peccata expientur, Deus ſit mortalibus propitius, omnibus eos bonis, potiſsimum verò cæleſtibus animi ornamentis amplificet. B

Sic igitur cum nihil non machinarentur Imperatores in veræ virtutis aſſertores Chriſtianos, eorumq. Præſules ſummos contrarium prorſus in cunctis euenit,quod per annos ferè tercentum ſunt omni ope moliti. C

Sexto illud ſit obſeruatione digniſsimum,tum maximè imperij Romani ſummam veniſſe in poteſtatem Chriſtianorum, cum maximè videbantur exciſi, omnia illorum prorſus extincta,atque ad nihilum redacta. Omnium namque acerbiſsimum bellum mouit Diocletianus,quod aliquot annis durauit, innumeros occidit,templa omnia ſubruit,libros vniuerſos comburi iuſsit. fuit autem, quod Victor ſcribit,vaferrimus, & qui aliena inuidia ſuam vellet explere crudelitatẽ, cũque ſæuiſsimus eſſet volebat appare mitis,ac placidus; ad abſtinẽtis verò,ac modeſti nomen captandum ſe ſe vnà cum Maximiano abdicauit imperio, ſed quando feruentiſsima ambitio ipſorum, quam ſimulacris,& virtutum figmentis adumbratam volebant, non poterat intra anguſtos modeſtiæ cancellos ſe continere, dum rurſus arripere imperium inſidioſiſsimè venantur, Maximianus quidem ſuffocatus eſt iuſſu Conſtantini, quẽ deijcere conabatur, Diocletianus autem ſibi timens,venenum bibit. Atque hæc pri D

A ma claſsis,primus exercitus eorum,qui aduerſus Pontifices Ro
manos prœliati ſunt.
Secunda claſsis eſt potentiſsima hæreticorum Imperatorũ,
Regum,Principum,nationumq́. hi Chriſti cultum ſimulant ad-
uerſus Chriſtum;fidem ſe maximè præſtare, in quo maximè il-
lam violant, profitentur. Hic exercitus initium ſumpſit à Si-
mone Mago,& numquam deſtitit incredibili impetu, doliſque,
& machinationibus inſidioſiſsimis oppugnare Pontifices Ro-
manos. recenſeamus ſummatim agmina iſtorũ maxima, nam
minora omittemus. Primi fuerunt Ariani Conſtantius,ac Va
B lens Imperatores,ille totius orbis Romani, hic Orientis:his ſe
adiunxere Oſtrogothi,qui tenuerunt Italiã multis annis;Van-
dali,qui Africã ſupra annos centum;Viſigothi,qui multo maio
ri temporis ſpatio Hiſpanias; Longobardi aliquot qui magnã
Italiæ partem. Secundi ſunt Aphtartodoticæ,è quibus Anaſta-
ſius, Baſiliſcus, ac ſuprema ætate Iuſtinianus imperatores.
Tertij ſunt Manothelitæ, inter quos Heraclius, Conſtans, qui
Martinum Papam propterea relegauit in Pontum, ambo Impe
ratores. Quarti ſunt Iconomachi Philippicus, Leo Iſauricus,
Copronymus,Leo Copronymi filius,Leo Iſauricus,Michael Bal
C bus,Theophilusque Imperatores Orientis. Quinti ſunt Nico-
laitæ, qui volunt à ſacerdotibus vxores ducendas; leges in his,-
ac vota etiam frangẽda:ſunt huius ſectæ inter alios,Vitiza Hi
ſpaniarum Rex,cuius moribus dicitur non fuiſſe diſsimilis Ro-
dericus, quibus regnantibus Hiſpaniæ ſunt à Saracenis occu-
patæ; Hos ſecutus eſt Henricus Tertius Imperator longo poſt
tempore.
Sexti ſunt Pneumatomachi, qui aſſerunt Spiritum ſanctũ nõ
procedere à filio. Dedit his initium Photius Patriarcha Con-
ſtantinopolitanus circiter annum octingenteſimum ſexageſi-
D mum quintum. His plerique Imperatores Orientis adhæſe-
runt,nonnulli hanc hæreſim deteſtati ſunt,aliqui nihil eam cu-
rarunt. Monomacho imperante, primum Michael Patriarcha
eſt auſus anno milleſimo quinquageſimo tertio Pontifices Ro-
manos excommunicare,nihilominus redierunt ad mentẽ Græ-
ci, ſed ſemel iterumque,ac ſæpius relapſi ſunt,donec omnes ad-
duxit Turcarum Rex in poteſtatem.
Septimi ſunt Lutherani, Caluiniſtæ, Auguſtanæ, vt vocant,
confeſsionis ſectatores, & incredibilis, quarumuis hæreſum
colluuies,quę abripuit ſecum Reges Anglię,Scotiæ,Daniæ,Sue-
diæ,

diæ,& innumeros Septentrionis populos. A

Verùm enimuero,cum veræ virtutis illud ſit, vt obiectas tenebras vndique diſcutiat,& clarior ipſa exurgat. Cum fuerint iſti conati Dæmone malo impellente caligiñe luci illius offendere,atque vnã fidem diſſuere,contrarium prorſus ijs euenit.

Primo enim loco id effecerunt, vt vniuerſalia cõcilia ſæpius fuerint aduocata à Pontificibus Romanis, ad quæ conuenientes ex omnibus cogniti,peruijſque orbis locis epiſcopi in vnam ſententiam conuenere, doctrinamque catholicam magis, ac magis corroborarunt, ac toto orbe catholico diſſeminarunt. quot vero illa fuerint,nos alibi enumerauimus. quãti ſint aperuimus,ſigno de ſanctionibus vniuerſalium conciliorum. Illud hic ſit ſatis adnotaſſe, ab orbe condito neminem, vel Imperatorem,vel Regem fuiſſe, qui tantum potuerit vt è tot nationibus,tot epiſcopos,in vnum valuerit vnquam conuocare,tantũ ſcilicet eſt veritatis robur. B

Secundo mirum ſit nulla ſcripta Arianorum, nulla Monothelitarum,nulla Apthartodocitarum, vel priſcorum,nunc extare vllibi, vel tenuia, nulliuſque momenti, cum tamen certiſſimum ſit plurimos viros eruditionis opinione præſtantes extitiſſe,qui veritatem contenderint expugnare libris editis quò igitur euanuerunt? nullibi reperiuntur, niſi quantum litteris ea ſuis noſtri compræhenderunt. Hæc eſt potentia ſolidæ virtutis vt obſtantia diſrumpat, ad nihilum redigat, falſitatis, ac ſimulatæ virtutis eſt abire in nihilum. contra genuina virtus. C

Non fumum ex fulgore ſed ex fumo dare lucem
Nititur.

Tertio quamuis articuli Chriſtianæ religionis, quoad ſubſtantiam multiplicari non poſsint, quoad explicationem tamen,conſecutionumque deductiones multiplicantur, veluti ſol vnus,radij poſſunt ſemper geminari; vnus arboris ſtipes rami plures,vnus paradiſi fons,flumina quatuor in varias orbis par- D
Ioan.17. tes ſe ſe diffundentia,telluremque irrigantia.ſic igitur hæretici fuerunt in cauſa,vt multa illuſtrarentur, veritas magis illuceſceret, latius eius fulgor porrigeretur. variis de rebus non modo doctiſsimi libri componerentur, ſed ſanctionibus per cõcilia decretis veritas ſtabiliretur. ſic itaque illud verè dictum liquet temporum progreſſu diſcuti mendacia; veritatem magis illuminari.

A'μει-

A *Α'μέραι δ' ἐπιλοιπαὶ,*
Μάρτυρες σοφώτατοι.
Dies vero aduenientes
Teſtimonia ſunt ſapientiſsima.

Quarto mirandum ſit ab Hæreticis nihil ad humani generis
vſum fuiſſe vnquam per tanta temporum ſpatia inuentum, ni-
hil tranſactum, cum tamen tot nationes, tot Reges, tot ac tan-
ti Imperatores extiterint & nemo ex eis aliquid attulit inſi-
gnioris boni? Ita ſanè. Quot verò, & quanta catholici? nos il-
B la enumerauimus ſigno de peritia catholicorum, de efferis gẽ
tibus ad humanitatem perductis, cultu deſertorum locorum.
Virtus quippe, vt diximus, eſt illa, qua tendimus in bonum, &
qua non proprium, ſed commune inquiritur, & cum proprium,
tunc vt communi ſeruiat. Quid itaque mirum ſi nihil boni
excellentioris ab hæreticis qui ſe Chriſtum bonitatis exem-
plar profitentur illi quidem ſectari, ſed nihil minus? quamobrẽ
peiori ſunt ipſi conditione, quam ceteri infideles.

Quinto mirum ſit ab hæreticis nullos vnquam populos ab
infidelitate ad Chriſti cultum perductos; cum quolibet ſeculo
C innumeri ſint à nobis Chriſtianæ pietati conciliati, vt aperui-
mus ſigno de propagatione, & perpetua propagatione fidei.
quin quo turbulentiores excitati ſunt ab ijs fluctus, eo maio-
res à noſtris facti progreſſus, vt infra attingemus, illorũ vero
omnia loca ab infidelibus occupata.

Sexto ab Imperatoribus ac Regibus hæreticis, imperia re-
gnaque vltra abnepotes non trãſmiſſa, illos infeliciter obiiſſe,
neque ab illis regnatũ vltra annos quadraginta, quod aperui-
mus ſigno de infelici obitu, & poſteritate hęreticorum, atque
ita cuncta iſtis in contrarium ceſſerunt. cum ſecus illi cona-
D rentur.

Tertia claſsis eſt, vt omittamus ſchiſmaticos, & excommu-
nicatos, eorum, qui iura Eccleſiaſtica, poteſtatemque Pontifi-
ciam lacerant, aut quoquo modo imminuũt, claſsis porrò hæc,
incredibile eſt, quot agmina ſecum ducat Imperatorum, Re-
gum, Principum, & quorumuis denique, à quibus imperium ſa-
cerdotij ſolet aut labefactari, aut declinari. quis vero erit exi-
tus frigidæ pietatis? vt in ipſos ad extremum recidant omnes
machinationes, & ſacra poteſtas valentior exurgat

Primo autem loco cum priſci Imperatores Chriſtianæ Reli-
gionis

gionis inimici nihil non aduerſus Pontificem Romanum fabricati eſſent, vt eius nomen abraderent è terris. Conſtantinus quid illi non eſt elargitus? Vſus ne ſit omni illius donatione quoad Occidentale Imperium Papa, nunc nolo diſputare. Græci enim volunt ei donata ipſius iura omnia, ac multi è Catholicis idem contendunt. Illud clariſsimè apparet, ipſum potuiſſe aduocare ad ſe quaſcunq; cauſas ad Vrbem venientes, in quãuis parte iudicij. neque ab illo fuiſſe appellationem. id conſtat è Codice Theodoſiano titulo de audientia epiſcopali. Romæ ſanè in Lateranenſi Palatio, quod illi reliquit Conſtantinus, ac ſedes erat Imperatorum, habitabat vt Hieronymus teſtatur epiſtola ad Oceanum, & ex illis Prudentij verſibus habetur. A B

Cœtibus aut magni Laterani currit ad ædes,
Vnde ſacrum referat Regali chriſmate ſignum.

Tantæq. erat auctoritatis, vt Ammianus Chriſtianis infenſus, cum fuiſſet in Vrbe, ſcriptum reliquerit incredibile fuiſſe, quam colerentur, & quot modis, qui Romæ ſine liberis erant; ſignans ſacerdotes, qui huiuſmodi forent. additq. in Vrbem rediiſſe Pompiliani temporis ſecuritatem. Nam Pompilius in poteſtate ſacerdotum poſuerat omnia diuina, & humana iura, vt Plutarchus in Numa tradit, ac Feſtus verbo ordo. Idem præterea Conſtantinus immenſas illi opes reliquit, & in concilio Romano teſtatus eſt, omnia ſubiecta eſſe iudicio ipſius, neque ſe, neque ſua excipiens, ipſum nulli. Quin ait Ruffinus lib. 1. cap. 2. ab eodem dicta hæc in concilio Niceno verba ad omnes Epiſcopos, nos à vobis recte iudicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. C

c. Theod. tit. 45. c. 5. lib. 4. tit. 31. 33. lia. 16.

Secundo, cum Conſtantino ſuffecti Imperatores iura Eccleſiaſtica imminuiſſent; præcipuè verò Honorius, ac Valentinianus, ille quidẽ, ne poſſet Epiſcopus cognoſcere, niſi cauſas religionis, ſiquis aufugeret ad Eccleſias, abductus grauius caſtigaretur, Clerici è monachis dumtaxat eligerentur, atque è vicis Eccleſiarum, quibus aſcribebantur ad eum modo numerũ, qui poſſent ſoluere Imperatori tributum è reditibus earum. Valẽtinianus addidit, ne ius in clericos haberet Epiſcopus, niſi conſentirẽt, ne collegio aſtrictus fieret monachus, aut clericus. D

Quid igitur continget iſtis imperium Occidentale moderantibus? contrarium prorſus eius, quod contenduut. diſcindentur eorum ditiones, augebũtur Pontificis Romani, & Epiſcoporũ.

Nam

A Nam regnãtibus iſtis, eorumq́. ſucceſſoribus in eadem diminu
tione Eccleſiaſticæ poteſtatis permanentibus, Franci Gallias,
Vandali Africam, Viſigothi Hiſpanias, Angli Britãnias, Heru-
li, ac mox Gothi Italiam cœperunt. atque ita, quam ruinã ſtrue
bant iſti in Eccleſiaſticam iuriſdictionem experti ſunt diuina
prouidentia ſic diſponente incidere in ſuam, finemq́. imperio
Occidentali imponi.

Romanis autem Pontificibus longe ſecus accidit, quam mo-
liti fuiſſent Imperatores Occidẽtis. Nam qui diſcerpſere eorũ
ditiones, quidquid acquiſiuerunt ſubiecerunt Antiſtiti Roma-
B no. Clodoueus in primis de manu Rhemigij Archiepiſcopi Rhe
menſis ob poteſtatem à Papa Hormiſda conceſſam voluit ſibi
Galliarum regnum, poſteriſq́. cõferri, ita vt quoties vngeretur
Galliarũ Rex, profiteretur, illud ſe accipere ab Archiepiſcopo
Rhemenſi, ex auctoritate Romani Pontificis, quod Papirius
Maſſonus in vita Henrici Primi tradit. longe autem poſt cum
Recharedus Hiſpaniarũ Rex Catholicæ ſe pietati reſtituiſſet,
inſtitutum eſt, vt ipſe, ac ſucceſſores vngerentur ab Epiſcopis
ſuis, quod è Chronico Iſidori liquet. tantaq́. eſt Epiſcopis pote-
ſtas data, vt Reges ſolio deijcerent; quod accidit Suintillæ, ac
C Recimiro veluti hæreticis anno ſexcenteſimo vigeſimo nono,
vt notauit in ſuo Chronico Vaſæus. Conſtitutum præterea tri
geſimo octauo à Toletana Synodo nequis Rex eſſet, priuſquã
iuraret haud ſe permiſſurum, vt aliquis hæreticus degeret in re
gno. at Reges Anglię tributariã fecere inſulã Romanę Eccleſię,
Adelolphus, Aluredus vt è Polydoro Virgilio habetur. Amplius
in mores inductum fuit, vt Imperator Conſtantinopolitanus,
ſiue Orientis à Patriarcha, qui tum confirmabatur à Pontifice
Romano, coronaretur; neque prius intelligebatur Imperator,
vt è Zonara in vita Anaſtaſij conſtat. Quin cum Ioannes Papa
D Conſtantinopolim profectus eſſet, Iuſtinus illi obuiam proce-
dens, cum toto populo, & ad eius pedes procumbens ad templũ
deduxit dextrum dextro in ſolio collocauit, ornamenta Impe-
ratoria depoſuit, atq; illa ſibi dari à Pontifice Romano voluit,
ab illo imperium ſe accipere profeſſus, quod eſt in vita illius, ac
Sigonius poſt alios memoriæ prodidit.

Viden Cæleſte conſilium? Viden vt inermis religio, nuda vir
tus retorqueat arma aduerſaria in caput ea ſtringentium? Vi-
den, vt incidat peccator in foueam, quam fecit innocenti? Vi-
deamus adhuc maiora.

Tertio. Iuſtinianus conſilio parum pio noluit Pontifices Romanos conſecrari niſi adſentientibus Imperatoribus orientis. id volunt aliqui ab Odoacre inſtitutum; deinde vſurpatum à Theodorico Italiæ Regibus. nō audeo tamen id affirmare, cum non habeam ex antiquis vllum teſtem. illud certius Senatū Romanū conatum ſibi aſſerere aut omnino, aut ex parte electionē Papæ, & clerum Romanum ſpoliare, quo circa in electione Laurentij & Symmachi coorta ſeditione per triennium fœdæ cædes in Vrbe fuerunt, vt Paulus Diaconus teſtatur. A

Contemplemur nunc, quid Deus omnium rerum moderator cōſtituerit, in primis igitur ſublati ſunt de medio Reges Odoacer, Theodoricus, ac reliqui Oſtrogothi. Senatus ipſe extinctus, vt è Procopij, & Agathiæ libris de bello Gothico apparet: Quamobrem cum Senatus olim Romanus pleraque maxima in Occidentali imperio regeret, eo ſublato, Pontifex Romanus nihil non magnum longè poſito Imperatore adminiſtrabat. ipſe ſolus Senatum referens, & in eius omnia iura ſuccedens. Hinc Gregorius Magnus ſcribit, vt milites mittantur quò iubet; ad ſe pertinere ait in Italia pacem facere cum Longobardis etiam ſi nolit. Exarchus; ad ipſum Romæ conſiſtentem veluti ad remp. Reges Longobardi legatos mittebant. cumq. initā pacem ab ipſo Mauritius Imperator non approbaret, eam tamen violare noluerunt illi, nullam Mauritij rationem habētes. Idem Gregorius pacem cum Theodorico Francorū Rege ſancit veluti inter Regem, & Remp. Romanā. litteris ſuis imperat militum magiſtris, quid agendum, quò eundum, vnde abſcedendum, qui relaxandi, qui retinendi. ciues Romanos efficit. Exarcho Africæ ſcribit, vt ipſius nomine iubeat, Theodorum militū magiſtrum abſtinere ab illicitis quibuſdam, Libertino Siciliæ Præfecto mandat, vt inquirat in auſa quædam Iudæi Naſæ, atque ea ſeuerisſimè puniat. ſtatuit nequis in Sardinia cognoſcat viduæ Catellæ cauſas. Sic igitur nihil non in Occidente Pontifici Romano erat ſubiectum. B C D

Lib 1. ep. 30. Lib. 2. ep. 70. Lib. 4. ep. 53. 75. Lib. 7. ep. 20. 13. Lib. 11. ep. 9. 43. Li. 12. ep. 21. 22. 23. Lib. 1 ep. 23. 71. Lib. 2. ep. 76. Lib. 1. ep. 60.

Quid plura? Longobardici Reges ab ipſo ſibi dari voluerunt, vt Rex ab Archiepiſcopo Mediolanēſi, & Suffraganeis eius eligeretur, ac Modoetiæ coronaretur, ab eodē, quo iure ex cōceſſione Gregorij Magni ſæpe vſi ſunt Archiepiſcopi, vt è Corio Mediolanenſi, ac libris Sigonij de regno Italiæ conſtat. ſic itaque dum Reges Italiæ Heruli, & Oſtrogothi, dum Senatus Romanus, dum Conſtantinopolitani Imperatores cōtendunt ſibi iura

A iura Pontificis Romani arrogare, ſuis excidunt, & ad illum diuinitus transferuntur.

Non tamen hic finis. Cum creabatur olim Conſtantinopoli Imperator, is mittere Romam ſolebat imaginẽ ſuam, ſuæque, ſi habebat, vxoris Auguſtæ, vt illa Populo Romano in vnum cõgregato oſtenderetur, ſolitaq. acclamatione, & honore excepta, qui foret Imperator, agnoſceretur, habereturq. atque ita in Occidentali Imperio parebatur illi, cuius imago Romæ fuiſſet eo, quo diximus, modo culta. Conuocare autem populum in hunc finem pertinebat ad Pontificem Romanum, Senatu amo-

B to, nam cum prius hic ſtabat, ad hunc ſpectauit; ſic itaque in poteſtate erat Romani Pontificis, aut reiicere imaginẽ, ſi voluiſſet, aut admittere, adiudicare Occidentale imperiũ lecto Imperatori in Oriente, vel abrogare. Cogebatur populus ad oratorium Cæſarei prope S. Ioannis Baptiſtæ in Laterano, quo in loco reponebatur aureus nummus imagine Imperatoris electi inſignitus. ac non ante multos annos Sixto V. ſedente reperta eſt huiuſmodi nummorũ magna copia ibi recõdita. Sic verò, vt diximus, agi ſolitum creato Orientis Imperatore, apparet nobis, ex epiſtolis Gregorij Magni lib. 11. in principio. Videamus

C autem, quid contigerit, vt maximè illuſtretur quod præ manibus habemus, ac veritas eorum, quæ dicimus, maximè reſplendeat. Anno ſeptingenteſimo duodecimo Philippicus Imperator inuaſit occiſo Iuſtiniano rinothmite Orientale imperium, bellumque in ſacras imagines commouit. id videns Conſtantinus Papa noluit eius litteras Romę, aut imaginem recipi, eumque pro Imperatore haberi. tradunt hæc horum temporum Scriptores Beda in Chronico, Paulus Diaconus lib. 6. cap. 10. Rurſus cum non multo poſt Leo Iſauricus in eadem cum Philippico iam defuncto hæreſi foret, neque eodem modo recipe-

D retur in Vrbe imago ipſius, neque pro Imperatore coleretur, ac nonnullos ſemel atque iterum miſiſſet, qui interficerẽt Gregorium XI. abrogata eſt omnis Romæ poteſtas, & in Occidente Imperatori Conſtantinopolitano, & in Pontificem tranſlata, quod in vita Leonis tradunt Paulus Diaconus, Zonaras, Glycas, Manaſſes, ac poſt alios Sigonius.

En igitur, vt mirabiliter diuina iuſtitia tranſtulerit omnia iura Occidentalis imperij in Pontifices Romanos. num metu armorum? nequaquam. num dolis, & aſtu Romanorum Pontificum? nihil minus. ijs ipſis molitionibus, quas machinabuntur

impij aduerſus Pontifices Romanos æternæ veritatis, ac diuinitatis mortalibus communicatæ, Heroicarumq. virtutum, nõ fictarum legitimos in terris aſſertores; vt illuſtriſsimum fiat à veris virtutibus, non à ſimulatis imperia pendere. A

Neque tamen hic finis. Nam cum Longobardorum Reges, Luitprandus, Aiſtulphus, Deſiderius Romano Pontifici ſæpius eripuiſſent Vrbes, ac ditiones ad ipſum pertinentes, neq; hi poſtremi reſtituere vellent contra omne fas ereptas, auxilio accitus Pipinus, ac poſtea Carolus eius filius armis receptas reddiderunt, ac iura Pontificia magis in Italia, & Occidente ſtabiliuerunt, quod ſcribunt Rhegino, Eghinartus, & Aimoinus. Quin B cum Romani indigniſsima quædam perpetraſſent in Leonem Tertium, Carolus Rex aduocatus opem tulit, & Occidẽtis Imperator eſt à Papa conſtitutus, ac prope inſcius, vt in eius vita ſcriba ipſius Eghinartus refert, Romæ eſt coronatus. ex illo Occidenti eſt imperium reſtitutum, & ille habitus Imperator, cui tantam dignitatem, poteſtatemq. Papa aut contuliſſet, aut ab ijs, quibus id iuris dedit, collatam cõfirmaſſet. Hinc ab illis imperium datum Gallitis primum, deinde Italicis, poſtremò Germanicis Regibus, in his conſedit, eligentibus ijs, quibus ex priuilegio à Pontificibus Romanis eſt conceſſum, Papaq. id ratũ, C ſi placuerit, & iudicauerit bono publico expedire, habẽte. Hinc Gregorius VII. abrogauit imperium Henrico III. Innocentius II. adiudicauit Lothario Duci Saxoniæ, eripuit Conrado. Innocentius III. confirmauit Othoni IV. abſtulit Philippo Sueuo, Innocentius IV. eo ſpoliauit Fridericum Secundum. & ab aliis Pontificibus alia ſunt, vbi opus fuit, huiuſmodi geſta.

Ex his, quæ hucuſq; aperuimus apparet clariſsimè à veris virtutibus imperia pendere, non à ſimulatis: ac retorqueri diuinitus artium malarum ſpicula in eos, qui iecerunt aduerſus innocentes, diuinosq. æternæ veritatis, arcanorumq. cæleſtiũ promulgatores. hinc alijs tẽporibus cum prophanarum rerũ Principes aliquid auferre Pontificibus Romanis conati ſunt aliquo, iuſto prætextu, Deus poſt aliquod tempus Principes iſtos mulctauit, ac maiora Pontificibus repoſuit. Hinc Spitigneus Boriuorij Bohemiæ Ducis filius cõſtituit argenti libras annuas centum ſoluendas è regno Romanæ Eccleſiæ, quod eſt in libris Eccleſiæ Lateranenſis. eidemq. tributaria facta, Portugallenſe, Polonicum, Danicum, Noruegicum, Sueticum, Aragonenſe, Croatiæ, Dalmatiæq. regna. & feudorum iura data in Neapo- D

litano,

A litano,Siciliæ,Sardiniæ,Hieroſolymorum,& Antiochiæ regnis, ac principatibus.ipſum denique imperium Conſtantinopolitanum his adiudicatum,aliis abrogatum. ſuperiori denique ſæculo diuiſus Orbis terrarum,quoad plagas inexploratas, & incognitas inter Caſtellanos,ac Portugallẽſes.quæ latè omnia perſecuti ſumus lib.xvij.de ſignis Eccleſiæ Dei ſigno lxxvij. cap.iv. Contigere autem, cum parum pij principes ex vna parte aliquid imminuebant è ditionibus ſacris, Deus autem reddebat ex alia parte multo amplius.hinc liquet è ſigno xcv.de pęnis in diminuentes iura ſacra diuinitus ſemper punitos poſt aliquã
B temporis interualla illos, qui detraxerunt aliquid ex eis. Ita verò punitos,vt nemo diffiteri poſsit id ob eam cauſam contigiſſe, quod religionis, quæ virtutũ mortalium prima eſt, ſtatus ſit per eos deterior,& infirmior factus ad humana, ac terna omnino ſubiicienda ſuperiorum virtutum moderatoribus, quales ſunt Religioſi omnes, Epiſcopi, ac Pontifices ſummi, ita vt omnino cõcludendum ſit,Eccleſiam Catholicam,in qua ſunt veræ virtutes,ac perfectæ multo illuſtriorem ſemper exurgere. à veris virtutibus imperia pendere,non à ſimulatis,& in ſimulatores reuolui tela emiſſa in veritatis Antiſtites, atque aſſerto-
C res,ac verè conſtet illud meritò dictum.

Quam bene diſpoſitum terris, vt dignus iniqui,
Fructus conſilij primis auctoribus inſtet.
Sic multos fluuio vates arente per annos,
Hoſpite qui cæſo monuit placare Tonantem
Inuentas,primum Buſyridis imbuit aras.
Et cecidit ſæui qui dixerat hoſtia ſacri.
Sic opifex tauri,tormentorumq. repertor
D *Qui funeſta nouo fabricauerat æra dolori*
Primus inexpertum Siculo cogente Tyranno
Senſit opus,docuitq. ſuum mugire iuuencum.

Imperia

A

Imperia, ac regna maxima inter Catholicos ijs gentibus diuinitus data, quæ magis abundarunt viris ſanctis, & Chriſtianæ pietatis propagatoribus; quod palam facit imperia pendere à veris virtutibus non ſimulatis. Cap. XIV.

NONDVM conſiſtimus in cælo, latumq. diſcrimen inter diuina, & humana. His ſemper aliquid impuri. Nihil illis. Cur autem Deus nō continuò flagitioſos caſtigat? vt ſit aliquis locus patientiæ, indulgentiæ ſi reſipiſcant, patientiæ dum peccāt. ſi protinus rei punirentur, quonam miſericordia relegaretur? quinam tolerantiæ fructus, ac præmium foret? B

Si quoties peccant homines ſua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.
Iure igitur, genitorq. Deum, Rectorq. vocatur; C
Iure capax mundus nil Ioue maius habet.
Sed ſolet interdum fieri placabile numen:
Nube ſolet pulſa candidus ire dies.

Sic itaque Deus cum Reges peccant, cum nationes, ac potiſſimū magnæ, conniuet ad tempus, monet placidè per ſuos Pontifices, acriter obiurgat, leuius caſtigat, vires debilitat, honores minuit, ad extremum cūcta eripit, vaſtat, delet, An non ita? Intueamur quæſo apertiſsimam veritatem, cognoſcamusque maxima imperia inter Catholicos ad eas nationes cælitus delata, quæ magis abundarent duobus hominum generibus, ſanctitate nimirum præſtantibus, atque hoc eſt primū, deinde religionis Catholicæ inter gentes barbaras propagatoribus. Quatuor autem maxima exiſtunt vſque ad hanc ætatem Catholicis imperia orientale (de Occidentali enim diximus capite ſuperiori) Gallicanum, Germanicum, Hiſpanicum. D

Orientale quādiu floruit hominibus ſanctis, & pietatis Catholicæ ſatoribus, ſtetit illud præ cunctis, ac floruit. recenſeamus ex ordine ſæcula labentia, ex quo in Græciam tranſtulit impe-

A perium Conſtantinus anno 330. quod eſt à Chriſto nato ſæculum quartum.

Quarto igitur ſæculo vitæ cæleſtis puritate,& Heroicis virtutibus,ſplendebant in Oriente agmina admiranda, mortalium ne dicemus, an immortalibus ſuperis ſimilium? Tales certe erant Alexander,& Athanaſius Patriarchæ Alexandrini, Alexander alius, & Paulus Conſtantinopolitani, Cyrillus Hieroſolymitanus, Baſilius ille Magnus, Gregorius Nazianzenus, Nyſſenus, Iacobus Niſibenus, Nicolaus Myrrhæus, Paphnutius Thæbeus, Spiridion Cyprienſis. ſequuntur hos Barſam Edeneſ-
B ſorum, Moſes Saracenorum, Brytannio Scytharum, Amphilochius Iconienſium, Frumentius Indorum, Gregorius Armenorum ſanctiſsimi Epiſcopi. Quid hìc enumerabimus tot monachos? tot Eremitas? En tibi Paulus Thæbeus, Antonius ille Magnus, Macarius, Iſidorus, Pãpus, Beniamin, Scyrio, Helias, Paulus, Apeliotes,& alter Phocenſis, Ioſephus, Dydimus, Aphraates, Iulianus, Ephrem Syrus, Abytus, Marianus, Abrahamus, Agapitus, Paulus, P blius, Acepſimas, Zeugmaticus, Marianus, Euſebius, Ammianus, Palladius, Abrahamius, Iſaacius, de quorum mirandis operibus Ruffinus, Hieronymus, ac Theodore-
C tes latè. Chriſti porro cultus in Oriẽte eſt propagatus per Frumentiũ inter Indos, per Moſem inter Saracenos, per Iſidorum, Pambum, atq; Heraclidem in Inſulis Æthiopiæ quibuſdã, quas circũfluit nilus, vt ſcribit Ruffinus, Gregorium inter Armenos, atque inter Scythas Britannionem, quin Iberas etiam volunt hoc tempore ad Chriſti cultum perductos, quod Theodoretus ſcribit lib.2.cap.24.

Quinto ſæculo labẽte celeberrimi fuerunt ſanctitudinis excellentia Chryſoſtomus, Flauianus, Eutychius, & Gennadius Patriarchæ Conſtantinopolitani, Marcianus œconomus Eccle-
D ſiæ Conſtantinopolitanæ, Epiphanius, Studius, vt aliqui volunt, auctor Studitarum, Euthymius Magnus, Daniel Stylita, Olympius Aſceta, Nilus, Varadatus, Iacobus Iunior Niſibenus, Sabas ille Magnus Paleſtrinæ habitator Theoctiſtus, Caſsianus, Euagrius, Theodoſius.

Sexto ſæculo imperãtibus Aphtartodocitis,& Monothelitis excelluerunt Cyrillus inſomnium præfectus, Symeòn, Zoſimas, Ioannes, Simeon Sala, quorum meminit Euagrius. viuebãt adhuc Saba Magnus, Barſanuphius, eorumque ſectatores, Anaſtaſius Sinaita, qui poſtea fuit Patriarcha Antiochenus, Ioannes

Elee-

Eleemoſynarius Alexandriæ Patriarcha. Perducti ſunt ad Chriſti cultũ per Orientales Lazi, quod Diaconus teſtatur, Abaſgi Heruli, nonnullique alij populi ad Tanain ſiti, vt Euagrius ſcribit, Auxumitenſes, & Homeritæ in Æthiopia, vt oſtendimus ſigno de propagatione fidei, & ſequentibus lib. 4. A

Euag. lib. 4. cap. 22.

Sicut autem tempore hoc multæ gentes ad Chriſtum perductæ, ſic Iuſtiniano imperãte, quo hæc acciderunt, receptæ imperio Orientali, depulſis Vandalis, & Gothis Africa, & Italia, vt qua parte Orientales Religionem dilatabant, ex alia Deus imperium ſimiliter augeret.

Septimo quo poſt Heraclium plerumque imperarunt Monothelitæ, è quibus Cõſtans Martinum Papam Roma abductũ ſummo ſcelere in Pontum relegauit, Floruerunt ſanctimoniæ laudibus Alypius Cionita, Maximus cum duobus Anaſtaſijs diſcipulis, Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus. Hoc tempore Mahometes extitit, Ægyptum, Syriam, multasque Aſiæ, & Africæ occupauit. B

Octauo dominati ſunt plerumque Iconomachi, eluxeruntq; in Oriente vita puritate, Ioannes Damaſcenus, Andræas Calybites, Iulianus, ac Valens, Theophanes, ac Theodorus Monachi, amiſerunt autem ſæculo hoc Imperatores Orientis, quidquid in Africa, ac penè Aſia tota poſsidebant. C

Nono adhuc aliqui ex Iconomachis regnarunt in Oriente, Leo ſcilicet Armenus Michaël Balbus, ac Theophilus ab anno 813. vſque ad 842. Sardiniaque, Sicilia, quædam Calabriæ, & Apuliæ, quæ parebant Orientali Imperio, loca, Creta, Cyprus occupatæ à Saracenis, præſtabant ſanctis moribus Theophanes, ac Theodorus Monachi. Poſt annum vero 842. Methodius, Taraſius, Nicephorus, Ignatius Patriarchæ, Ioannicius, ac Plato monachi, quorum meminit Zonaras in annalibus ſuis cum multa laude. atque ex hoc Baſilius Macedo Catholicus Saracenos vltra Euphratẽ ſummouit, Aſiam, Syriamque cis id flumen recepit, Cretam ſimiliter Cyprumque & inſulas maris Ægei. D

Hoc item ſæculo Bulgari, ac Rhuſsi, è quibus Moſchouitæ ope Græcorum Chriſtianæ pietati ſe addixerunt, vt habet in Annalibus ſuis Zonaras. atque ita cum pietas catholica magis Orienti affulſit, vitæque ſimul Catholicæ puritas, ac per Orientales Chriſti religio eſt magis amplificata, imperium ſimul rediit ad antiqua incrementa.

Verum

A Verùm poſt annum octingeſimum ſexageſimum tertiũ Græci Photio inſtigante à nobis ſe ſe alienare cæperunt, & eorum nonnulli hæreticorum penè loco nos habuere, donec anno milleſimo quinquageſimo tertio Monomacho imperãte eſt auſus Michael Patriarcha Pontificem Romanum cum ſuis excõmunicare quaſi hæreticum. quod autem mirandum ſit poſt Photij ætatem nullius meminit Zonaras, quem laudet à ſanctitate vitæ, cum tamen veluti Monachus profiteatur Eccleſiaſticam hiſtoriam ſcribere, atque ante id tempus multos afferat, quos nominat ſanctos, neminem poſtea. cõſentiunt Zonaræ Glycas, B Manaſſes, Curopolates, Græci omnes.

Ex illo igitur elanguit omnino Imperium Conſtantinopolitanum, ita vt iiſdem teſtibus Monomacho regnante Turci occuparint quidquid erat in Aſia Orientalis imperij. in Europa porro infirmum iacebat, ac viribus nullis à Bulgaris, Vvallachis, Slauis, & Hungaris dilaceratũ. cæpit ex aliqua parte melius habere, cũ noſtri in expeditione ſacra Turcis abſtulerunt quidquid in Aſia minori habebant, & Græcis reddiderunt, vt Robertus Monachus, & Choniata teſtãtur: maximè vero id cõtigit Manuele rerum potito, vt adnotauimus latius ſigno vi- C geſimoquinto, de perpetua ſanctorum ſucceſsione aperientes, Græcis melius fuiſſe quoties cum Pontifice Romano melius ſentiebant.

Quocirca cum poſt obitum Michaelis Palæologi, qui ſe Imperio Papæ ſubiecerant Græci omnino ſe abiunxiſſent à nobis anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo tertio, non modo inter eos nemo fuit ſanctimoniæ alicuius, ſed Turci in Europam tranſeuntes Imperium prorſus euerterunt. itaque ſic apparet imperia pendere à veris Virtutibus, vt quæ nationes inter Catholicos magis excellunt ſanctis viris, cultumque Chriſti D propagant, illæ adipiſcantur imperia maiora. excipimus Imperium Pontificiæ ſedis in Italia conſiſtens. Quin ex allatis conſtat Orientale imperium tunc magis floruiſſe, cum diuinis viris illud magis floruit. Hinc quarto, quinto, & ſexto ſæculo valde excelluit imperantibus Catholicis, ſeptimo, & octauo eſt maximè depreſſum. Nono veritati ſe reddens, ac ſanctis adornatum nonnihil extulit caput. Decimo à nobis iterum ſe ſe alienans iacuit. inde per noſtros ad expeditionem ſacram itantes eſt ſuſtentatum vſque ad mortem Michaëlis Paleòlogi, qui Catholicus fuit. ex hoc ab omni ſanctitate, & ſan-

ctis omnibus nudum miſerabiliter in preceps abiit. A

Gallicanum imperium, cum viris ſanctis abundauit, & inter infideles religionem Catholicam propagauit ad amplitudinem magnam ſic peruenit, vt primas teneret. id accidit maximè Pipino, Carolo Magno, Ludouico Pio, liberiſque eius regnantibus. complectebantur namque horum ditiones Hiſpaniæ non ignobilem partem, Italiæ maiorem, Galliam, Germaniam vſque ad Viſtulam, Liburniam, Dalmatiam Myſiam, Pannoniam, Daciam, vt ex Eghinartho habemus, Reges porrò hi maximè fauerunt ſanctiſsimis viris Bonifacio, & Lullo Archiepiſcopis Moguntinis, vt Chriſtianam pietatem B
ſeminarent inter Germanos, Burchardo Herbipolenſium, Vuil librodo Friſiorum, Vulfranno Senonenſium Epiſcopis, vt id peragerẽt. Quin idem Carolus in Holſatia inſtituit epiſcopum Heridagum, qui Slauorum, Danorumque regiones Chriſtiana pietate illuſtraret; huic Anſcharius, Rhembertus, alijque ſanctitate pollentes deinde ſucceſſerũt, ac plurimi denique è Corbeia Saxoniæ educti, à quibus latè Chriſti cultus eſt per omnes oras Boreales amplificatus, vt è Saxonia Crantzij liquet. erexit autem Carolus in Germania epiſcopales ſedes nouem, Archiepiſcopales duas, atque omnes viris eximiæ ſanctitatis com C
mitti curauit, Monaſterienſem Lugdaro, Mindenſem Heriberto, Halberſtadenſem Hildegrino, Osnaburgenſem Vvihoni, Bremmenſem Vvileado, Padeburgenſem Harimario, Verdenſem Suiberto, Hamburgenſem Heridago, Hildemenſem Gunthero. atque hi fuere Epiſcopatus. Archiepiſcopatus autẽ ſunt Hamtuagenſis, & Salzburgenſis, quæ refert latè Cranzius Saxoniæ lib. 1. cap. 5. & ſeq. & lib. 2. cap. 14. ab his latè Chriſti cultus per omnes Germaniæ terras amplificatus, & ex his in reliquas Septemtrionis oras. multa deinde præſtita ſunt à poſteris Caroli Magni ad promouendã Chriſtianam doctrinã in iis locis, D
quæ perſequitur idem ſcriptor in Metropoli ſua. cum vero Gallici Reges deſierũt religionem Chriſtianam promouere inter Barbaras gentes. tum maxime imminutum eſt de regnis eorum.

Germanicum Regnum, & Imperium maxima incrementa cœpit ab Othonis primi ætate vſque ad Ludouicum Bauarum: nam circiter iſta tempora cæpit valde decreſcere: aut etiam paulo ſupra. Suſtinuit eius caſum Sigiſmundus Imperator, qui multa ſimul regna coniuncta moderatus eſt. ſuſtinet nunc Au-

ſtria-

A ſtriaca gens religione inſignis. Igitur Othone imperante Vnnis Hamburgenſis Epiſcopus. Aldedagus, aliique ſucceſſores inter Suecos, & Gothos cultum Chriſti latè amplificarunt vt è Crantzij Suedia conſtat. Auctor eſt Helmodus in hiſtoria Slauorum, Daniam ab Othone domitam, diuiſamque in tres Epiſcopatus, atque illos Hamburgenſi Epiſcopo ſubiectos, & ad Chriſtum perductam. ab eo qui continuauit Chronicon Rheginonis, diſcimus Helenam Rugorũ Reginã miſiſſe ad Othonẽ legatos, vt haberet, qui pietatem catholicã propagarẽt in eius regno, eductusque è Monaſterio Corbienſi Aldelbertus, atq; ad
B eam rem perficiendam miſſus eſt. Incertum mihi eſt, an hic ſit, qui Hungariæ, ac Poloniæ tum populos, tum Reges, ſeu Duces Chriſto conciliauerit, vir magnæ ſanctitatis, vt è Cromerio & Bonfinio liquet. Othone primo Imperatore florebant Diuinis virtutibus, ſancti Huldricus Auguſtanus, Conradus Conſtanſienſis, Vigibertus Lotharingus, alijque multi ſequẽtibus temporibus: de quibus Helmoldus, & Arnoldus in hiſtoria Slauorum, Crantzius in Suecia, Dania, Metropolique ſua, poſtremi omnium populi, qui fuerint opera Germanorum lumine Chriſtianæ religionis illuſtrati ſunt Pruſsi, ac Liuones. deſierũt Ger
C mani à propaganda religione, poſt Bauari ætatem. tributum pendebant antea Germaniæ Regibus, atq; Imperatoribus Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Daniæq. Reges, ac reliqui Septemtrionis cuncti propè Principes, ac Duces, vt libro de bellico robore probauimus. plurimos è Germania tum ſanctitate præſtantes, tum religionis Chriſtianæ diſſeminatores ab Othone, vſque ad ætates ſequentes numerauimus ſigno de perpetua ſanctorum ſucceſsione, & fidei propagatione. Nunc ſanè ob hæreſes eneruatum lugemus Germaniæ regnum.

Hiſpanicum, ſiue Caſtellanum, poſt hæc nobis occurrit cui
D connumeramus Luſitanicum. vtraq; enim Regi vni obediunt, quamuis vtrumque per ſe ſtet, ac ſuis ſeparatim legibus gubernetur. Hoc omnia ſuperat amplitudine terrarum, quæcumque vmquam fuerint ab Orbe condito. Eius incredibile incrementum eſt ab anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, ex quo Chriſtophorus Columbus Indias detexit. Hiſpanorum verò laboribus tot populi ſunt Chriſtiana religione imbuti, vt numquam plures. ſanctitate verò præcipua floruerũt ex eis, Martinus Valentinus, quì cum duodecim ſociis Indias petiit, & gentes multas Chriſto conciliauit, Ignatius Loiola, Frã-

ciſcus Xauerius, Petrus è Montibus, Ludouicus Lermà, Toribius Matolinia, Ioannes è SanctoFranciſco, Andreas ex Olmo, Franciſcus Colmenatius, Eſtuniga, Laurentius è Rapariego, Ioannes Nauarretes, Franciſcus Gatæ, Didacus è Mureia, Andreas ex Aſaiſo, Petrus Sancius, Petrus è Guarda, ac non ante multos annos Aloyſius Bertrandus, Nicolaus Fattorius, alijque multi, de quibus egimus ſigno de fidei propagatione. A

Sic igitur apparet ex adductis imperia maxima inter Catholicos ad eas gentes delata, quæ magis præſtiterunt ſanctis viris, & Chriſtianæ ſimul religionis propagatoribus. Eorum magnitudini diminutum, cum ſimul eſt remiſſum de ſtudio pietatis Catholicæ inter barbaros amplificandæ. quid ita? quod nimirum neceſſariò ſequitur, vnà cum virtutibus diuinis imperia magna procedere, & hæc ab illis pendere. ſic etiam probauimus alibi ſigno nonageſimo olim diuinitus data imperia gentibus illis magna, quæ minus aberant à veris virtutibus. cumque illæ in vitia deinde ob partas opes prolaberuntur, ab his ad alias transferebantur. quod verò ſit maximè admirandum, quicumque amplificarunt Chriſti cultum inter exteras nationes, eos vel miſit Pontifex Romanus, vel adiuuit in maximis, eorumúe ſtudioſi, ac ſectatores fuerunt, quos extulit, & amplexatus eſt auctoritate, & poteſtate ſua, vt è ſignis adductis aperte conſtat. cumque iſti plerique omnes fuerint ex ordinibus religionis, aut alumnis eorum, ex ijs fuere, quos Italia, ac Roma fouit, aluit, recepit, quales ſunt SS. Auguſtinus, quem religioni Chriſtianæ peperit in Italia Mediolanum, Benedictus, Romualdus, Bruno, Dominicus, Albertus, Franciſcus, vt meritò Deus, qui benignitate ſua hæc Italiæ dedit, dederit eidem Pontificiam ſedem, cui pareant Reges omnes, atque Imperatores. B C D

A *Hæreticorum conatus omnes ad quinque capita rediguntur. qui in contrarium ſemper eis contingunt, atque ex illis magis Eccleſia amplificatur, atque ornatur. Cap. V.*

NONDVM finem faciamus, ſed adhuc contemplemur, vt Deus retorqueat in caput eorum, qui iacula iaciunt in ipſum, veritatemque immutabilem, quam ſancit vniuerſali lege omnino credendam, ſpeciatimq. ſequendam
B Pontifex Romanus, atque omnino contrariũ contingat illis eius, quod contendunt, dum ſimulatione virtutis aduerſus virtutem prœliantur hæretici prætextu veritatis, quam ſequi ſe profitentur, diſcedunt à fide Pontificis Romani, euenitque vt integræ nationes quandoque illos ſequantur. Quid conatur iſti? primum ſanè vt ipſos populi plurimi ſequantur, ac doctrinam, quàm tradunt. Secundum, vt qui eam recipiunt. omnibus aliis inter Chriſtianos præcellant opibus, & imperio. Tertiũ vt qui religionem potiſ-
C ſimum profitentur, ac tradunt alijs, ab ipſis ſint, eorum partes ſequantur: ſic enim doctrina ipſorum màximè propagatur. Quartum, vt omnis diſciplina & ars, quæ poſsit ornare, ac promouere ipſorum ſententias, floreat inter ſuos ſectatores. Poſtremum vt religio Romani Pontificis, obedientia, quæ præſtatur illi, extenuetur, cadat, euaneſcat. Atque ita nullum ſit ipſius imperium, nullum veritatis ſit regnum.

Mirabiliſsimum ſit itaque per annos iam mille quingentos nonaginta tres contrarium contigiſſe; & certiſsimo contrariũ ſemper continget ad extremum. Hoc autem fieri haud poſſet,
D niſi à veris virtutibus, niſi à veritate penderent imperia, niſi Romano Pontifici veritas ſuffragaretur, cum ſcriptum ſit: Propter veritatem deducet te mirabiliter dextera tua: & veritas Domini manet in æternum: ſuper omnia autem vincit veritas. Pſalm.44. Pſam.35. 3.Eſd.3.

Quantum pertinet itaque ad primum. hæretici multos habent à principio ſectatores; dein verò ad tantam paucitatem rediguntur, vt nulli ſint: protinus enim diſcinduntur inter ſe, ac nemo eſt ex ijs, qui nouas hæreſes priori contrarias nolit ex inferis in auras educere, ita vt ad extremum vel nulli ſint, vel

pau-

paucisſimi. Vbi nunc Arianorum tot Imperatores, in queis Conſtantius, & Valens, tot Reges Oſtrogothorum, Viſigothorum, Vandalorum, Suenorum, Longobardorum, qui propè Orbem totum tenebant, ac veluti Gigantes bella aduerus Deum mouebant? nimirum vere illud. A

Regum timendorum in proprios greges
Reges in ipſos imperium eſt Dei
Clari Gigantæo triumpho
Cuncta ſupercilio mouentis.
Qui terram inertem, qui mare temperat B
Vndoſum, & Vrbes, regnaq. triſtia,
Diuosque, mortalesq. turmas
Imperio regit vnus æquo.

Quin ipſimet hæreſum principes à ſemetipſis deſciſcunt, ac nullum faciunt in plurimis, quod pertinaticisſime prius crepabāt, vt aperuimus ſigno de vera fide. Lutherus vini plenus ſomniatus eſt, ac veluti oraculum prodidit Orbem totum placita ipſius ſecuturum, ac viuens vidit plurimos à ſe deficere, imminui ipſius factionem: longe ſecus accidere in Pontificis Romani religione infra clare oſtendetur. C

Secundo loco regna omnia ipſorum ſolent à barbaris, efferis, Chriſtianæq. religionis euerſoribus occupari. ita ſanè contigit Orientali imperio, ac regionibus ſingulis, quę receperunt hæreſes ex antiquo, & ex omni tempore, vt aperuimus ſigno de interitu fidei.

Quin barbari illi, qui regiones hæreſibus plenas inuadunt, vel Pontifici deinde Romano ſe ſe deuouent, vel prorſus intereunt. Sic Angli, qui Britannias Pelagianorū plenas, atq; hæreticorum, de quibus meminit in vita Auguſtini Romani Beda, egerunt: ſic Franci, & Burgundi, qui Gallias ſimiliter hęreſibus abundantes, vt placet Saluiano Gallo libris de prouidentia diuina, inuaſerāt, ſic Viſigothi, qui Hiſpanias à Priſcilliano contaminatas; ſic Longobardi qui Galliam Ciſalpinam Pontifici Romano tunc haud obediētem adduxere in ſuam poteſtatem, ſic innumeri populi, qui Germaniam, Daciam, Myſiam, Pannoniamque ab Arianis inquinatas tenuere. Amplius vt ſuperiori capite eſt explicatum, maxima inter catholicos imperia, D

diui-

A diuinitus ad eos deferuntur, qui Catholicam religionem propagant.

Quantum ad tertium illo ipſo tempore, quo conantur hæretici abducere poſt ſe religionis præcipuos profeſſores, excitat in Eccleſia Catholica Deus ordines nouos religioſorum ſanctiſsimis viris auctoribus, quaſi conſcribat exercitus in ſupplementum veteranorum, vel eorum, qui cadunt. En tibi, cum ſceleſtus Arius bellum mouere cœpit in Oriente, Antonius, & Baſilius acies religioſorum robuſtiſsimas inſtruxerunt. In Occidente Martinus, Hilarius, Caſsianus etiam Maſſiliam profe-B ctus, & ſub idem ſæculum Magnus ille Auguſtinus, neque multo poſt Benedictus.

Cum Vualdenſes, Albigenſes, Berengariani, Manichæiq. reſurgentes ante ætatem SS. Franciſci, ac Dominici, claſsicum canerent aduerſus Eccleſiam Catholicam, Deus ex aduerſo cælitus miſit Dominicum, Franciſcum, Albertum, atque Angelum Carmelitas.

Furentibus inde Huſsilis, atque aliis huiuſmodi, emiſit Deus SS. Bernardinum Senenſem, Vincentiumque Hiſpanum, cum multis aliis, qui ſunt eorum ſecuti, vel aliorum familias religio-C ſas. Noſtro autem Proteſtantibus obortis dedit Franciſcum Paulanum, Ignatium Loiolam, vt omittamus minores ordines, atque acies.

Quoad quartum cum nihil æque pertineat ad hominem, quam mentem bonis artibus, ac diſciplinis expolire. eo perueniunt hæretici omnes, vt nihil earum denique fiat illis reliquũ. cadantq. in incredibilem barbariem, rerumque omnium, quibus excoli poſsit animus, inſcitiam. cognoſcimus hoc è duobus. Nam quis ignorat, qui forent olim Græci in omnibus doctrinis? Nunc miſerrime prolapſi in omnem cuiuſlibet diſcipli-D næ ignorationem vix propriè linguæ callent erudimenta. ſi quid addiſcere volunt, ad nos, ac noſtras oras concedunt. contemplare deinde, qui nam ſit inter hæreticos ab ortu Chriſti, cuius extet opus aliquod inſignius ad aliqua ſcientiæ alicuius partem ſpectans, veluti Philoſophiæ naturalis, diuinæ, mathematicorum, vel artium liberalium, nihil inueſtigãdo eximium reperies. A principio ſunt aliqui inter hæreticos, qui periti videantur, & maximè qui fuerunt antea Catholici, & cum Catholici forent, mentẽ bonis litteris informarunt, ſed paulatim pręcipites dantur in caliginem profundiſsimam; tenebraſq. denſiſsi-

ſiſsimas, vt nihil lucis videatur infelicibus ſupereſſe. Contra accidit in Eccleſia Catholica progrediente, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol. A

Quartum ſupereſt, vt videamus. Atqui hoc omnium ſit longe diuiniſsimum. quoties hæretici abducunt ab Eccleſia Catholica gentes aliquas, tum verò Deus inter alias Catholicam doctrinam propagat, atque amplificat. id nos tempora comparantes temporibus explicauimus latè ſigno de maxima iniquiſſimis temporibus facta propagatione. Hic exempla duo maximè illuſtria producemus in medium.

Cum Græci abſceſſerunt à nobis, & initium ſchiſmatis facere cœperunt, tunc aditus apertus ad omnes Septentrionis populos, qui ſupra Rhænum, Danubiumque ſunt Chriſto conciliandos; videntur autem duplo plures iſti eſſe, quam reliqui Europæi. Vltimi omnium conceſſere ad nos Lithuani anno milleſimo tercenteſimo octuageſimo ſexto, cum Iagello eorum magnus Dux Chriſtianam religionem eſt amplexatus, vt ſcribit Cromerius lib. 13. B

Noſtra verò ætate cum Septentrionis multæ gentes fuerint ab alienatæ, Deus aperuit nobis orbem nouum, creauit, vt ita loquamur cum Iſaia, terram nouam, cælumq́. nouum. ac tanta eſt adiectio facta culti noſtro nationum prius incognitarum, vt numerus iniri nullo modo poſsit. C

Sic olim furentibus Arianis dederunt ſe nobis Iberes, Armeni, Æthiopes, Axumitenſes, Saraceni, Indi multi, Scoti, & qui in Hiſpanias irruperant ante Viſigothos, Alani, Sueui, vt Orofius teſtatur, & qui in Galliam Lugdunenſem Burgundi.

Contra aſpice quid factum fuerit Vandalis, & Oſtrogothis Arianis: conciſi omnes fuere, ac deleti, vt nullæ tantarum nationum reliquiæ ſuperfuerint ad tuendam vel illarum dignitatem, vel ipſum ſaltem nomen. Quid verò de Orientalibus dicemus? Coniurarunt aduerſus Romanum Pontificem tres Orientis Patriarchæ, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus opem tulit illis Imperator Conſtantinopolis potentiſſimus. quid igitur accidit? in ipſos recidit, quod in Præſulem Romanum moliebatur. incredibile detrimentum fecerunt omnes gentium, mortaliumq́. ipſis olim ſubiectorum; redacti ſunt, ſi reſpiciamus antiqua, ad exiguam ſuorū paucitatē. ſic igitur quidquid impij prętextu boni moliūtur in Eccleſiā Dei oīm virtutū parētē, breui cōcidit, atq; euaneſcit, & in ipſos retorquet. D

A ——*θεῶν δ᾽ ἀέκητι τέτυκτο*
Ἀθανάτων τῶν ὄυτι πολὸν χρόνον ἔμπεδον ἦν.
Inuitis quidquid ſuperis contexitur illud
Temporis exigui ſpatio diſſoluitur omne
rurſus.
Neque enim lex æquior vlla eſt
Quam necis artifices arte perire ſua.

Quod ſi conatus hæreticorum retorquentur ab Eccleſia in ipſos, atque ex ijs illa maiores acquirit vires, cum ſuis imperet B volentibus, inimicis verò licet reluctantibus dominetur, nihil erit, quod illius imperium ſubtergiat, cum nemo ſit, qui non vel inimicus ei reperiatur, vel amicus.

Macchiauelli præcepta quædam confutantur, quibus ait diuidendos ſubiectos, & exteros; extenuandosque ad augendas Principis opes, ac robur. Cap. XVI.

C IGITVR cuiuſnam quæſo dicetur eſſe illud pronunciatum, quod eſt in ore eorum, quibus cordi non eſt Germana virtus.

Regnare ſi vis diuide.

Hinc volunt extenuandos ſubiectos, ne quid vel audeant, vel poſsint in Principem; fouendas factiones inter eoſdem vel permittendas; inter exteros eodem modo ſeditiones, ac bella; ſic enim neceſſariò confugiēt ad te, vel poteris iſtos adducere facillimè in omnem tuam poteD ſtatem. Tu verò quaſi moderator, atque arbitrer à cunctis huiuſmodi aduocaberis, coleris, ob id infirmioribus aiunt opem dandam, ne potentiores nimis extollantur, ſed habeant, quibuſcum pugnent, & in modeſtia contineantur. Atqui iam vidimus ſimile ſtudium eſſe Tyrannorū, eſſe eorum, quos mala cuncta ſequantur ad extremum, contra omne virtutis officium pacem meditantis, omnem tranquillitatem cunctis afferentis, nō odium, non diſsidia, ſed amorem, placidiſsimamq́. ſingulis quietem procurantis.

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros,

Conſulere Patriæ, parcere afflictis, fera, A
Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, ſæculo pacem ſuo.
Hæc ſumma virtus, petitur hac cælum via.

Non id ſtuduit Auguſtus, ex quo Liuiæ coniugis conſilia ſecutus poſt aliquot annos, cum maximis curarum cruciamentis affligeretur, neque ſomnum capere poſſet, dein beneficijs, ac manſuetudine ſibi imperium ſtabiliuit, inſidiis antea plurimis appetitum, vt ſupra retulimus: non ita Titus, qui diem ſibi perijſſe aiebat, quo beneficia non contuliſſet, atque ob id humani generis delitiæ fuit appellatus: non ita Nerua, Traianus, qui ſe malle amari, quam honorari aiebat; Antoninus Pius, Philoſophus, qui neque maieſtatis læſæ reos occidi volebat, Claudius, Tacitus, Probus, Conſtantius Chlorus Conſtantini pater, quem Eutropius dicere ſolitum refert, melius publicas opes à priuatis haberi, quam intra vnum clauſtrum reſeruari. cultus autem fuit adeo modici, vt feſtis diebus, ſi amicis pluribus eſſet epulãdum, priuatorum eis argento oſtiatim, ait ille, petito triclinia ſternerentur. quãobrem non modo amabilis, ſed etiam venerabilis Gallis fuit. His ſi vnũ, vel alterũ excipias, quibus antea acta vita fuit flagitioſior, Auguſtũ, ac Titũ, reliquis omnibus mors fuit tranquilla, ac felix. At Imperatoribus alijs, qui veſtigiis horum non inſtiterunt, ſed venenata ſerendi diſcordias, expilandi ſubiectos conſilia ſunt ſecuti, mors violenta plerunque, & dedecorum, tormentorumq. plena fuit, vt oſtendimus. B C

Quid placet, eligamus; vita ne ſit nobis diuturna, an breuis. At vidimus longiorem in regno fuiſſe poſt Auguſtum Liuiæ monita ſequentem Traiano, Antonino Pio, ac Philoſopho, quos tamen Conſtantinus omnes ſuperauit. ſic in reliquis regnis aperuimus, ijs vt plurimum Regibus datum viuere diutius, qui manſuetiores, ſuorumq. amantiores fuerunt. D

An volumus in perpetuis animi conflictationibus viuentes excruciari inſidiarum metu, & intimis torqueri curarum diſſenſionibus, earum luentes æqualem pœnam, quas inter alios curamus eſſe, neque curamus vt ſint? An exemplo Neruæ, Traiani, Antonini iugulum nudum præbere ſuſpectis, neque inuenire, qui nos feriat, & in maxima ſecuritate degere, atque animi voluptate?

Forſan expelli è regno cupimus, ſicut ex animis aliorũ quie-

A tem, ne merito ſit nobis illa, quam fugamus ab aliis, aut longe placet abeſſe? Aut certè caſibus variis agitari, quibus & alios concuti libenter inſpicimus?

An non vidimus etiam principes huiuſmodi domeſticis vexari diſcordiis intimorum ſuorum, ne ſit ipſis pax, quam vel denegant, vel non afferunt alijs cum poſsint? vel amplius volumus noſtrorum ferales cædes perpeti, aut exultantes caſibus, ac plagis aliorum, dum culmen attingimus felicitatis, de improuiſo deiici, atque allidi ad terram, vel potius in ea conſiſtere diuinitus, ad quam cupimus alios, & conamur adducere? la-
B tiſsima nobis imperia placent? & hæc ijs contigere, qui Dei omnium latiſsimè imperantis exemplo, clementiæ, ac benignitatis omnia, quæcumque ipſi valent, documenta omnibus præbent.

Hæc docet, vt pœnis hominum vel ſanguine paſci
Turpe, ferumq. putes: vt ferrum Marte cruentum
Sic cum pace premas, vt non infenſus alendis
Materiam præſtes odijs, vt ſontibus vltro
C *Ignouiſſe velis, deponas ocyus iras,*
Quam moueas, precibus numquam implacabilis obſtes,
Ætherij patris exemplo, qui cuncta ſonoro
Concutiens tonitru Cyclopum ſpicula defert
In ſcopulos, & monſtra maris, noſtriq. cruoris
Parcus, in Oetheis exercet fulmina ſiluis.

Quod ſi nos aura popularis delectat, ſi poſt obitum gloria, oſtendimus ad nos amplificandos eorum mentes tendere, quos amore coniunximus, beneficiis copulauimus. ſic aperuimus eo-
D rum nomina ſæpius repetita à ſuccedentibus Regibus, quorum fuit ad euehendos ad omnia bona, & in pace continendos ſubiectos præcipua cura: ijs perpetua gloriæ monumenta contigerunt, quamuis iſta minus procurarēt. Sic obſeruat Ariſtoteles huiuſmodi principibus neque vltra annum cēteſimum durare principatus, vel vltra quartam, quod obſeruauit Ælianus generationem: redigiq; diximus ad vaſtitatē regiones, ad nihilum populos eis ſubiectos. Nam nemo non mortalium currit, atque aduolat ad inhabitanda illorum principum loca, quorum ſubiectis conſpiciunt eſſe, conſeruari, & augeri ab ipſis principibus

opes, honores, ac reliqua bona. Hinc augentur Vrbes, oppida, vici. coluntur agri, vectigalia pluribus vndique confluentibus creſcunt, impendunt quidquid populi habent libentiſsimè ad eorum vitam, decus, opes, atque imperium tuendum, amplificandum. Vidimus ſupra, & latè probauimus libro de robore bellico Perſis, ac Romanis, omnium maximè diuturna, & ampla imperia contigiſſe diuinitus. Quid ita? quod iſtis mos eſſet Reges deuictos non protinus ſuis regnis exuere, ſed illa ipſis adminiſtranda, impoſito tributo relinquere, quod Herodotus narrat. Adeo non iſti expilabant, quos armis domuiſſent, nedum ciues, nedum populares ſuos. Romani idem factitarunt, quo circa vel imperante Nerone in ipſa Italia Rex Alpiũ Cottiarum fuit; alij præterea multi multis in locis imperij, vt è uita Veſpaſiani conſtat, qui nonnulla regna in prouinciarum formam redegit, quæ Eutropius, ac Suetonius narrãt. Teſtis eſt in Lybico Appianus multas nationes Romanæ virtutis exiſtimatione, ac ſplendore captas id petiiſſe, vt ſub imperij Romàni ditione eſſent, iura ab ipſis, ac leges acciperent. ter in maximas anguſtias Romani à Carthaginenſibus coacti fuerunt, ita vt ali quando fuerit à nonnullis de Roma deſerenda cogitatum ſecũdo bello punico, & tamen euertendæ illius, niſi compulſi neceſſitate decretũ non ſtatuerunt. ac fuere, qui contenderent ignoſcendum, atque illi prudentia rerum ciuilium adminiſtrandarum præſtantiſsimi. Ter ijdem Romani potuerunt Ægyptum proprij iuris facere, Regibus auferre, non eis reddere. noluerũt id facere, nõ eſt adducta Ægyptus alioquin opulentiſsima prouincia in poteſtatem Romanorum, niſi cum Cleopatra viperã ſibi ad pectus admouit, atque omne ſemen Regium, quod in regno ſuccederet, defecit. ac ſanè nihil propè continentius fuit Romanis, ad aliena ſibi vendicanda, niſi maximum ius, quo cõpellerentur, atque vrgentiſsimum perſpicerẽt ſibi adeſſe, quam diu fuere in libertate, ac Senatui ſuum ius fuit. ex illo vbi Imperatorum non adeo clementibus, ac beneficis animis aditus apertus, tum ſimul etiam Roma dilaniata vnà cum principibus ſuis, combuſta, ter maxima ex parte, ſæpius direpta à ſuis, vt explicauimus libris de antiquo, & nouo Italiæ ſtatu. ad ſummam fixum ſit hoc immutabili decreto, quod quiſque iuris in alium ſtatuet, vtetur ipſe eodem.

Tu ciuem, patremq. geras, tu conſule cunctis

Nec

A *Nec tibi, nec tua te moueant, ſed publica iura.*
In commune iube, ſi quid cenſesq́. tenendum.

Qui diuidet alios, ipſe ſua ſuosq́ue diuidi ſentiet, qui extenuabit alios, & ipſe ſiue cito, ſiue ſero videbit ſe, ſuosque extenuari, vt è ſuperioribus conſtet.

Quin, ò bene vir, ſi res ita agetur, diſsipabitur humanum genus, vt in prohemio concludebamus. Si membra à corpore diuidantur, alterumq; ab alterius connexione, quid illi erit? efficiēdum potius, vt arctiſsimè ſecū, & cū toto corpore conglutinen- B tur, neq; diſciſsio, luxatiove permittēda, niſi cū peſtilens eſt omnino membrum. alioquin etiamſi incommodet reliquis membris, afferat languorem, non ſecatur. numquid claudus inæqualiſsimum crus præſcindit? numquid oculū lippiētem quis eruet ſibi? numquid brachium ſic diſtortum, luxatumve, vt nullū præſtet vſum, vel impediturum ſit officia cæterorum? Vel placet omnia debilitati debilato vno? An potius adcurrere vt illud corroboretur? Chriſtianis eſt vnum corpus in vnum Chriſtum, Pontificemq́ue illius Vicarium cohærens. Hominibus cunctis eſt vna in eādem naturam colligata vniuerſitas, diuinitus inſti- C tuta, ad idem facta, ab eodem creata. Ad iſtas diuiſiones, debilitationesque niſi ob maximam neceſsitatem non eſt properandum, cum ſcilicet aliquis extremam ruinam molitur, neque deſiſtit monitus, obiurgatus, leuiter, acrius, grauiusque punitus.

Ex iſta enim diuiſione paulatim gliſcentibus inter Proceres, nobiles, ac populares odiis, atque ex vna in alias cauſas tranſuolātibus, quaſi exſcreſcentia ſenſim rupto aggere flumina, dū Reges illa haud placant, oriuntur funeſtiſsima bella. nam tenuis odij ſcintilla dum modo hoc, modo illud lignum corripit, ſtare enim neſcit, immenſa odia, quæ non poſsint extingui, D excitat, ac latè cuncta exurit. animiq́ue per actus frequentes iris exercendis aſſueti vehementiſsime æſtuant; neque pati quidquam vel leuiſsimum queunt. atque vbi auerſantur aliquid à Regibus factum, ferre eos non poſſunt, extinctos cupiunt, atque vt extinguantur illi contendunt. ſic Orientale imperium concidit, ſic hodie videmus Hungaricum dilaniatum; Gallicum diſcerpi, Germanicum iacere. ſic vbi Marius diuiſit à Senatu plebem, vt vtrique dominaretur, & eodem ſtudio Sylla Senatum à populo; ac mox idem fecere Pompeius, & Cæſar;

po-

poſtremoque Octauianus, actum eſt de Repub. Romana. paulatimque eo ventum, vt qui regnare volebant, Prætorianos, militesve alios ab Imperatore auellerent, in illum concitarent, atque vt ſuccederent, mortem machinatentur. neque eſſet propè, qui non occideretur. Sic inter Mahometanos periit imperium Califarum, Perſarum, Turcorum, Tartarorum, Mamaluchorum, ante Othomanos regnantium; ſimiliter in Africa Feſſenſium, Marochienſium, & huiuſmodi plurium, quorum meminimus, cum de familiis Regiis, quæ ſe mutuis cædibus abſumpſere, egimus ſupra. A

Vt capiti benè ſit extenuandi ſunt, inquies, ſubiecti. Itane? fieri haud poteſt. nam ſi membris male ſit, male erit etiam capiti. Numquid autem membris exilibus vaſtiſsimum caput imponemus? ſtipiti ampliſsimo nullas dabimus radices, tenues tantum fibras? ornabimus faciem, deformabimus totum corpus? B

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi velit, & varias inducere plumas
Vndique collatis membris, vt turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa supernè; C
Spectatum admiſsi riſum teneatis amici?

Sed in explicandis bellis eſt opus multa pecunia, multis opibus; quæ ſine graui onere vectigalium, mulctiſque non poſſunt coaceruari. Atqui Romani non hac via ad amplitudinem tanti Imperij venerunt; non Perſę, non Galli, Germani, Hiſpani. quin vbi hæc elegerunt, concidere. Saluianus teſtatur, cum diſcerptum eſt Occidentale Imperium, ſubiectos grauiſsimis tributis fuiſſe oneratos. idem lamentatur Gregoras accidiſſe Orientali iã labenti. Galli, quod liquet è capitularibus, Germaniq́ue, vt adhuc videmus inſtituerũt Vrbes ab omni fere immunes penſione, ſic & Hiſpani olim ſuas. nam quid de Alexandro dicemus; qui nulla ferè ope nummorum Imperium tantum ſibi comparauit? Robur militare eſt in primis à Deo, Virtutibus animum ornantibus, iuſta cauſa, exercitatione militari. ſubiecti vbi amant Principes bene de ipſis meritos, quid non agunt, quæ pericula non ſubeunt, quæ imperata non faciunt, vt eos, eorumq́ue regna tueantur? Franciſcus Maria Ruerius dicere ſolebat, ſibi tot eſſe in ditionibus ſuis arces inexpugnabiles, quot hominum corda. conſtantiſsimè namque, & ardentiſsimè à D

à ſuis

A à ſuis populis amabatur. ac ter à potentiſsimis expulſus, cùm nil haberet, ter illas recepit. vel cunctos oportebat occidere, eiſque cor euellere, aut illi erepta reſtituere. nō enim tributis illos onerabat vllis, in tranquillitate, & amore maximo omnes deuinctiſsimos inter ſe, ac ſecum continebat. eadem Catholicorum potentiſsimi Reges egerunt. contra populi vbi ſe vident expoliari. Rurſus, cum congeſtas opes habemus, & maiores congerimus, in luxum labimur, ac populi noſtro exemplo deliciis effeminantur, inimicorum vultū delicatuli ferre non poſſunt. His præterea freti haud curamus arma exercere, non curamus

B alios irritare, nobisve cōciliare, vel reliqua prouidere, quibus imperia ſtant, amplificantur. ſic hoſtes facilius mouentur ad bella in nos mouenda inflammati cupiditate opum potiundarum, fortiusque ob id pugnant. vti Macedones Gazæ Perſicæ deſideriis accenſi, aut Romani opes Aſiaticas conſpicati. ſic igitur diuitiæ nimiæ nocent. Audi quid inducat ſuperos cum Roma loquentes ille.

Horrenda latè nomen in vltimas
Extendat oras, quà medius liquor
C *Secernit Europen ab Afro,*
Quà tumidus rigat arua Nilus.
Aurum irrepertum, & ſic melius ſitum
Cum terra cælat, ſpernere fortior,
Quàm cogere humanos in vſus
Omne ſacrum rapiente dextra.

Et alibi.

Quanto quiſque ſibi plura parauerit
A Dijs plura feret. multa petentibus
D *Deſunt multa. bene eſt, cui Deus obtulit*
Parca, quod ſatis eſt, manu,

Romani ad amplitudinem tantam imperij pertigerunt in libertate viuentes, & ciuitatibus plurimis, quæ in libertate viuebant, ſociis vtentes. nō extenuabant aut ſemetipſos, aut alios, diuidebātve. eandē ſenatui reliquere Imperatores fortiſsimi, laudati, de quibus ſupra eſt actum: idem fecere Catholici. ob id latiſsima imperia ſunt diu tutati. contra Mahometanis nulla extitit regni nobilioris forma vltra annos tercentum.

Audi

Audi nunc aliud. in Africa olim tot Vrbes erant, vt Hunericus miſerit in exilium quadringentos triginta Epiſcopos, teſte Beda, plures vult Sigibertus. Atque Ioannes Leo Africanus in exactiſsima ſua Africæ deſcriptione vix quadraginta, in quibus ſunt oppidula exigua, recenſet. Ægyptum volunt aliqando habuiſſe Vrbium viginti millia, referunt Plinius, Diodorus, Mela. modo neque viginti habet, vt ex eodem Leone apparet. ſic ad eundem ſquallorem properat Aſia, & quidquid Mahometani præcipuè verò Turci tenent, exactionum, diuiſionisque huiuſmodi regula vtentes, ac ferro, & odiis omnia tranſigentes. A

